

# XENOPHONTIS EPHESII

DE

ANTHIA ET HABROCOME

EPHESIACORVM

LIBRI V.



LATINE VERTIT

ALOYS. EMERIC. LIBER BARO LOCELLA,  
S. C. R. A. M. A CONS. AULAE



Editio altera,  
secundum primam editionem  
Vindobonae apud A. Blumauer  
MDCCXCVI  
impressam edita a  
Gerardo Helzel.

EDITIO ROMANA  
HAMBURGI

MMI



Adnotationes editoris:

< > emendatum,

[ ] deletum,

{ } insertum secundum textum Graecum.

© Editor sibi vindicat ius proprietatis.

## Ex praefatione editionis primae repetitum:

**LECTORI ΦΙΛΕΛΑΗΝΙ**

S. D.

**ALOYS. EMERIC. LIBER BARO LOCELLA.**

Iam inde a pluribus annis maiorem otii, quod supererat, partem in Graecis literis consumpsi. Otium autem, ut sincere dicam, propterea non defuit, quod mihi nullum umquam fuit magnarum dignitatum studium, atque in publicis muneribus administrandis diligentiam et incorruptam fidem praestare contentus, gloriolae servire, famam captare, honores alios ex aliis maiores aucupari neglexi; etenim in omni aetate me bene vixisse iudicabam si bene latussem: ceterum tranquillum hoc meum otium sine literis mortem reputassem cum Seneca, et hominis vivi sepulturam. Quod vero vix umquam futurum opinabar, quodque, mearum mihi virium conscius, amicis hortantibus constanter abnueram, scilicet ut mendose editi alicuius Graeci scriptoris recensendi, emendandi, illustrandi curam susciperem, id me nuper repente atque ultro, nemine, nisi fortasse malo meo genio, suadente constituisse, etiam nunc demiror. Adfertur ecce mihi, nil tale apud nos exspectanti, mense Maio a. 1793. exemplum Xenophontis Ephesii in hac urbe recens excussum, atque ut in vita mea saepe gravioribus in rebus, sic tum in hacce levis momenti sum expertus quantam vim habeat quod est in fati: namque ego, qui duodecim abhinc annis negligentius modo inspexeram hunc scriptorem, eiusque diligentiore lectionem, quamquam mihi stilus valde placuerat, tamen adhuc distuleram, statim ut mihi oblata fuit Vindobonensis editio, eam nescio quomodo cupidissime retinui, neque de manibus deposui, prout olim Albertius fecerat, donec totum libellum adtente perlegissem. Revixit tum maxime illa cogitatio, quae iam aliquoties animum subierat, videlicet quam illiqua sorte acciderit, ut quum Achilles Tatius, Longus, Heliodorus, Chariton, et insipidus ille Eustathius sive Eumathius magis minusve utilibus commentariis instructi exstarent, nemo adhuc fuerit repertus, qui Nostrum post negligentissimam curatam principem Londinensem editionem, si minus cum scholasticis criticis, at saltem correctius pleniusque edidisset, quamvis non modo in omnes quinque libros egregiae Hemsterhusii et ex magna parte non inutiles Abreschii adnotationes iam inde a sexaginta annis in Miscellaneis Observationibus Batavis essent in promptu, sed et ab a. 1750. suppetent, quae D'Orvillius ad Charitonem e codice Florentino protulerat emendationes insigniaque lacunarum explementa. His igitur utrisque tunc adcuratius inspectis, ut multo artius quam antehac intelligebam, mendosissimum nos habere Xenophontem Ephesium, sic mira indignatione sum commotus, ubi Vindobonensem editionem cum Londinensi in Bibliotheca nostra Caesarea conferendo cognovi, quam temerario atque inaudito ausu imperitus editor textum Graecum ineptis suis sive emendationibus, sive interpolationibus deturpaverit, novis praeterea mendis inquinaverit, quin et singula verba atque integras rheseis omittendo, magis etiam mancum mutilumque reddiderit. Ac profecto, quemadmodum indignatio versum facere dicta est, ita mihi accidit, ut haec editio usque adeo mihi stomachum moveret, ut alterius melioris que eam suscipere in animum induxerim. Omnino, aiebam apud me, operae pretium fuerit tandem aliquando edere hunc Xenophontem permultis locis suppletum, emendatum atque adnotationibus illustratum: hama epos, hama ergos: protinus itaque, nescio quo insolito animi impetu incitatus, operi manum admovi, ac initio quidem magna cum alacritate, sed haud multo post, ut fit, remissius aliquanto. Tandem vero, quae mea est in huiusmodi occupationibus mobilitas interdum aliis studiis intentus, per integros menses neglectum iacere sum passus Auctorem meum, tamquam si eius edendi consilium iam plane abiecissem. Huc accessit diuturnus ocu-

lorum morbus, qui me, quamvis commentandi cupidum, acerbè prohibuit. Post restitutam deinde aliquantum oculorum aciem, sed valde tamen debilitatam, (prout adhuc est) perfecti denique intermisso saepe studio susceptum opus, quoad potui, nec vero sine submolesto labore: namque interpretando, explicando, illustrando demum sensi, me ad has partes cum iucunda quadam animi contentione agendas, sive a natura minus esse comparatum, sive usu minus exercitatum. Sed quorsum ista? inquires. Haec, erudite lector, eo valent, ut, cum propter exiguam nostram in hoc genere peritiam, tum propter crebro interpellatam ac fere tumultuariam hanc nostram operam rectius possim tibi, (vel potius amicis, quibus nescio quomodo maiorem, quam mea fert eruditio, exspectationem movi) statim in limine — Xanthiae illud cecinere *μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα*<sup>1</sup>. Adde quod multo penitius sese imbuunt his studiis qui ea ex professo, ut dicimus, tractant, atque inde ab adolescentia nihil fere aliud egerunt, qui denique, ut Tullii verbis utar, in una philologia quas tabernaculum vitae suae collocarunt, quam qui diu multumque negotiis publicis distracti, sero demum, oblectationis otiique in provecta aetate honeste consumendi gratia iis operam dant, redeuntes viam, qua in iuventute non invita fortasse Minerva fuerant progressi. Quamobrem, ut plus ab illis, quam ab his exspectes aequum est. Iam, priusquam expono quae in hac editione a me sunt acta, de Auctoris nostri aetate, de codice MS. qui eius Ephesiaca continet, deque superioribus editionibus et versionibus quaedam sunt praemittenda.

De aetate qua Xenophontem Ephesium vixisse credibile est, pleraque fere, quae probabiliter disseri possunt, iam occupavit Ian. Casperius (in specimine Dissertationis de Xen. Ephesio, sine loco et anno, quem vero comperimus fuisse 1740) cuius perparvus libellus quum admodum raro inveniatur, repetere hic iuvat eius ibi disputata, sic tamen ut ea, recisis partim falsis, partim supervacuis, verius ac brevius, nec non dilucidius distinctiusque exponamus, nonnullis etiam novis accessionibus augeamus. Mirum iure videtur Casperio nullam Nostri ab Photio mentionem fuisse factam, licet, inquit, eroticos scriptores ceteros in Bibliotheca sua non praetermiserit. Solus veterum eius meminit Suidas (vol. II p. 646), post hunc vero nemo alius, quod norim, usque ad Angelum Politianum, qui locum ex eo desumptum e codice Florentino Latine transtulit.

Salvinius in toto Xenophonteo libello nulla existimabat deprehendi posse indicia aetatis qua floruerit. Idem fere ait Fabricius: addit tamen facile sibi persuadere eum Heliodoro antiquiorem esse. Contra ea D'Orvillius, nescio qua de caussa, iuniorem Heliodoro, Achille Tatio, et Longo esse censuit.

Quid? quod Parmensis typographus plane ad finem quinti saeculi aerae vulgaris aequè arbitrario atque inerudito decreto Xenophontem nostrum detrusit nullo prorsus fundamento nixus nisi quod ita sibi placeret. Si modo verum sit, quod credere licet, (neque enim si quid video, in toto libello cur non credamus caussa nulla reperitur). Auctorem videlicet nostrum fabulam suam quasi rem suo saeculo actam narrasse, videretur is mihi cum Casperio circa Antoninorum tempora sive, ut clarius dicam, saeculo post C. N. secundo exeunte aut saltem tertio ineunte scripsisse. Certe neque ante Augustum vixisse potuit, quoniam praefecti Aegypti meminit, quem magistratum ab hoc imperatore primum fuisse constitutum novimus, neque etiam, ut opinor, Hadriano fuerit antiquior, quandoquidem Perilaus ab eo dicitur *τῆς εἰρήνης τῆς ἐν Κιλικίᾳ προσεστῶς* et *ἀρχεῖν τῆς εἰρήνης τῆς ἐν Κιλικίᾳ*, id est, Irenarcha fuisse. Horum vero ante Hadrianum nullam reperiri mentionem ostendit Chr. Gottl. Schwarzius.

Sed Constantini M. temporibus multo antiquiorem fuisse inde adparet, quod de urbe Epheso tamquam florentissima civitate loquitur, praesertim vero ex iis, quae non modo de Dianae festo die, deque eius vigente cultu, sed et de Isidis illic templo adhuc exstante adfert. Atqui Dianae Ephesiae templum iam anno 262. Galleno imperante direptum atque incensum

<sup>1</sup> Aristoph., Vesp. 56.

fuit, ipsaque dein Ephesus vastata iacuit. Aliud argumentum, quo Xenophontem nostrum ante Constantinum M. scripsisse probabile redditur, duci potest ex illa narratione de Habrocome cruci adfixo, quod supplicii genus ab illo imperatore abolitum fuisse constat. Ex eo item quod Xenophon antiquis quarumdam urbium nominibus utitur, velut Byzantii, Mazacae, et Perinthis, hoc saltem colligimus, eum illo aevo non vixisse, quo illa nomina in usu esse desierant: qua de re dictum est in adnotationibus. Arguit porro, ni fallor, secundi aut tertii saeculi scriptorem, quod Ephesius noster τὸ ἱερὸν τοῦ ἐν Κολοφῶνι Ἀπόλλωνος, eiusque oraculum memorat; nam et saeculo illo vigeat adhuc Clarii Apollinis oraculum, et neminem novi posteriorum saeculorum, sive Graecum sive Latinum auctorem, qui oraculi huius mentionem fecerit: quo minus est probabile id usque ad Constantinum M. perdurasse, quod sine idonea causa sibi persuasit van Dale. Postremo hic non est silentio praetereundum, quoniam Hemsterhusius animadverterat inesse scilicet in Nostri fabula moris antiqui vestigia quaedam non facile obvia; etiamsi ex iis nulla probabilis coniectura capi possit de eius saeculo; quod, ut secundum vel tertium fuisse credam, facit inprimis proba graecitas et prisca stili simplicitas. Nihil est in Xenophontis huius oratione nisi sincerum, siccum, sanum. Nullae apud eum reperiuntur argutiae, nulla quaesita acumina, nullae intermixtae sententioelae, nulla denique, ut ita dicam, pigmenta rhetorica quibus tantopere delectantur seriorum saeculorum utriusque linguae scriptores. Quin ea est eius in narrando simplicitas, ut nomina propria nimio perspicuitatis studio saepius repetere non modo non refugiat, verum etiam peculiaribus iamque lectori satis cognitis denominationibus rursus designet. Laudandum vero est, quod interdum, valde commendabili brevitate narrationis, celeritatem facti quasi adumbrare studet. Utinam his laudibus illam etiam possem adiungere, quam D'Orvillius Charitoni suo in praefatione merito tribuit, quod videlicet nec verbum nec sententiam in Nostro inveniatur, ad quam vel severissimus lector frontem corruget; verum, ut idem vir doctus addit, pravitas ista saeculo, uti priori, sic etiam licentiori est imputanda.

Desumpta sunt Xenophontis Ephesii Ephesiaca ex unico MS. codice bombycino, qui Florentiae in Bibliotheca monasterii ad S. Mariam Monachorum Cassinensium Ordinis S. Benedicti sub numero XCIV adservatur. Scriptus est satis emendate in octava forma fere quadrata, literis quidem elegantibus, sed minutissimis, iamque valde obsoleti coloris. Montfauconius et Cocchius eum saeculi XIII. esse iudicarunt. Continet tria et viginti variorum auctorum opuscula, quorum pleraque ad Theologiam et Byzantinam historiam pertinent. Deinceps, praeter Longum, Achillem Tatium, et Charitonem Xenophontis nostri exhibet Ephesiaca in foliis fere IX. id est, XVII. paginis cum dimidia. Ex isto igitur codice Cocchius narrat totum paene Xenophontis libellum ab Salvino sua manu exscriptum Henrico Davenantio, magnae Britanniae Regis ad Magnum Ducem Hetruriae legato, fuisse traditum: cuius apographi vir ille de litteris optime meritis iterum describendi, interpretandi atque edendi copiam sibi (Cocchio) fecerit.

Tres editiones Xenophontis Ephesii hanc nostram praecesserunt. Princeps est Ant. Cocchii, medici Florentini, cum adiecta versione eius Latina Londini 1726. quaternis. Incuriose admodum vir ille editoris partes egit: nam nonnisi perpaucas vitiosas lectiones, quas inter scribendum aut interpretandum forte animadverterat, clandestina emendatione sustulit: ceterum non modo indiligentius descripsit apographum Salvini, ita quidem ut alia perperam scriberet, alia plane omitteret, verum etiam in locis indubitate vitiosis aut mancis incredibili segnitie codicem MS. Bibliothecae Monachorum Cassinensium, qui codex ei, ut ita dicam, ad manum erat, in tempore consulere neglexit. Praeter errata typhotetae, quorum emendationes in fine non indicantur, magna labes est huius primae editioni, quam adeo posteriores duae fere expresserunt, quod interpunctio persaepe nullo consilio, sed paene caeca et fortuita, sive potius, ut libere dicam, stulta ratione fuit adhibita, praesertim in punctis, quae saepenumero pro commatibus posita fuere, quin etiam ibi, ubi nulla plane distinctione opus erat. Deinde Lucensis typogra-

phus Franc. Bonsignori recudit textum Graecum Londinensis editionis, addita Cocchii Latina versione, Italica Salvinii, et Gallica Iourdan, Lucae a. 1781. quaternis. Est quidem elegans haec editio, sed qui eam curavit, omnia fere menda Londinensis exemplaris, paucis modo latentior correctis, retinuit, novaque irreperere passus est. Denique ignotus mihi quidam Graecus negociator, ut textus Xenophontis Graecus Lucensis editionis una cum Salvinii Italica versione denuo typis in hac urbe describeretur sumptus praebuit, editionem curante nescio quo terrae filio, cuius nomen ad calcem ineptae suae Graeco-barbarae praefationis literis ... indicatur "Quem ego" quidem "hominem", ut cum Plauto dicam, "nullius coloris novi"; nam, qui esset atque unde domo, quaerere operae pretium non putavi; verum is mihi hactenus bene cognitus est, ut eum confidenter deterrimum veteris Graeci scriptoris editorem nominare possim ...

Translatio Italica quae ipsam principem editionem praecessit, est Ant. Mar. Salvinii elegans et fidelissima, interdum tamen Graecis verbis nimium adstricta... Latinam versionem Cocchii, universam si spectes bene latinam atque elegantem dicere possis non item si singulatim examines: de reliquo nec adcurata est nec fidelis. Gallica lingua duas habemus: priorem anonymi cuiusdam; posteriorem, cuius auctorem esse constat Massiliensem quemdam nomine Iourdan. Illa sat est fidelis, neque nonnisi raro aliena inserit, quae in Graeco non leguntur, haec infidelissima, monstrum est versionis ob perpetuum insanum Graecam orationem immutandi, exornandi, amplificandi conatum: ut nihil dicam manifesto adparere Iourdanum Graecae linguae prorsus rudem ultra interpretationes Cocchii et Salvinii non sapuisse, atque adeo cum illis toties errasse, quoties ipsi alucinati sunt. Germanicae translationes duae itidem sunt a nescio quibus auctoribus, sed procul omni dubio non ad Graeca Xenophontis, verum ad Latina Cocchii verba compositae...

Versionem Latinam Cocchii, de qua supra quid sentiam breviter dixi, non invitus tamen retinuissem, nisi tot locis falsam, aut saltem minus iustam, atque in universum Graecis verbis parum adcurate respondentem esse cognovissem. Quod si eam usquequaque immutando, emendando, supplendo interpolassem, praesentiebam molestum ac invidiosum laborem improbatum iri ab idoneis harum rerum arbitris. Itaque novam conficere malui atque in convertendo eam mihi legem tuli, primum ut, quoad pateretur Latinus sermo, verbis Graecis constanter inhaererem; arbitrabar scilicet convertendum mihi esse ut interpreti, qui Cicerone iudice necesse habet verbum pro verbo reddere non ut oratori, cui sat est sententias easdem et earum formas tamquam figuras exprimere, atque genus saltem omnium verborum vimque servare: quare raro aut omisi verbum aliquod, nisi manifeste supervacaneum, aut addidi, nisi melius connectendae orationis aut vitandae obscuritatis caussa; tum vero, ut probae probataeque Latinitatis rationem haberem; denique ut, quantum fieri poterat, caverem, ne aequabile orationis flumen, quod non mirum est in adstrictis istis versionibus interdum desiderari, in nostra hac saepe requireretur. Id si non sum adsequutus, reputent, quaeso, aequi censores, Latinam interpretationem Graece non doctis scribi, vel certe parum aut mediocriter doctis, quorum nihil interesse debet sitne haec ita comparata, ut perito cuique statim adpareat non esse Latinum, an contra sine asperitate, sine salebris, nativa quadam facilitate sua Latini scriptoris opus esse videatur, dummodo Graeci auctoris sententia atque ipsa verba, quantum licet fideliter, nec barbare Latine reddantur. Ceterum libenter fateor, me, siquidem id aliter nequit fieri, verba Cocchii tum retinuisse quum aptiora nos suppetent; attamen meam ab eius translatione usque eo diversam esse, ut nova iure dici possit, neminem puto qui paginas aliquot contendere volet, inficiaturum.

Scribebam Vindobonae a. d. VII. Id. April. (= 7<sup>o</sup> Aprilis) MDCCXCVI.

## LIBER I

I. Erat Ephesi vir inter illic principes nomine Lycomedes. Huic e Themisto uxore indigena nascitur filius Habrocomes, eximum sane quiddam exsuperanti corporis pulcritudine, qualis antea neque in Ionia, nec usquam terrarum exstitit. Augescebat semper atque Habrocomis forma, florebantque in eo cum corporis decore simul animi bona: etenim cum omnibus studiis doctrinae operam dabat, tum variam musicam tractabat, consuetaque illi exercitationes erant cithara, equitatio, armorum certamen. Ab Ephesiis omnibus summopere observabatur, sed et ab iis qui reliquam incolunt Asiam, magnamque de eo spem habebant fore, ut inter cives suos excelleret. Venerabantur adolescentem ut deum, fueruntque etiam nonnulli, qui [visum] (videntes) adorarent, eique supplicarent. Hinc valde superbire adolescens, et ingenii quidem praestantia, multo autem magis corporis forma gloriari, atque universa, quae pulcra dicerentur, ut se inferiora despiciere: itaque nihil ei neque visum, neque auditum, videbatur esse dignum ad Habrocomen. Quod si adolescentuli alicuius, virginisve formam laudari audiret, narrantes deridebat, utpote nescientes se unum pulcrum esse. Amorem sane neutquam deum esse putabat, sed prorsus solebat reiicere, pro nihilo ducens: aiebat adeo, neminem umquam amore capi, neque isti deo subiici invitum. Quod si uspiam templum, aut simulacrum videbat Amoris, irridebat, declarabatque se qualemcumque Amorem, et corporis forma, et virtute antecedere. Atqui sic se res habebat: ubi enim Habrocomes conspiciebatur, nulla sive sculpta, sive picta effigies conspicua erat, vel laudabatur.

II. His indignatus Amor, (pervicax quippe deus, et superbe se spernentibus inexorabilis) machinam commolitur ad adolescentem; nam et ipsi deo difficilis captu videbatur. Igitur armis accinctus, cunctisque copiis amatoriorum veneficiorum sibi circumdatis, adversus Habrocomen expeditionem suscipit. Agebatur Dianae festum domesticum, (sunt autem ab urbe ad templum stadia septem) et ducere pompam virgines cunctas indigenas oportebat magnifice exornatas, ephebosque aequales Habrocomis, qui tum circiter sextum decimum annum agens ordini epheborum adscribi coeperat, ac primas in ea pompa ferebat. Magna vero multitudo cum popularium tum hospitum ad spectaculum convellerat, etenim mos erat, ut in illo conventu sponsi virginibus, et ephebis uxores quaererentur. Procedebant ordine pompam ducentes: ac primo quidem quae ad sacra pertinebant, cum facibus, canistris, et suffimentis; postea equi, canes, et venatoria instrumenta, quorum nonnulla bellica, pleraque tamen pacifica. Virginum se quaeque velut ad amatoris oculos exornaverat: quarum ordinem ducebat Anthia Megamedis et Euippae indidem civium filia. Admirabilis erat Anthiae venustas, et longe superabat ceteras puellas. Agebat circiter quartum decimum annum, pulcritudinis flore corpus vigeat; simul cultus decor multum adiecerat ad venustatem. Coma flava, partim nexa, plurima demissa ventisque diffusa: acres oculi, hilares tamquam puellae, severi utpote pudicae: vestis, tunica purpurea, cingulo ad genu succincta, manicis ad cubitos usque demissis: hinnulea pellis circumiecta, pharetra suspensa et arcus: arma et hastilia fere-

bat, canes sequebantur. Saepe illam in fano videntes Ephesii pro Diana adoraverant; tunc vero ut conspexit populus, clamorem sustulit, erantque variae spectantium voces; his prae stupore, deam ipsam esse aientibus, aliis aliam quamdam a dea sibi adsimilatam. Omnes autem supplicabant, adorabant, parentes eius beatos praedicabant, eratque in ore cunctis qui eam videbant, *Anthia* formosa. Ac praetereunte quidem virginum choro, nihil nisi Anthiam quisque nominabat; verum ut successit Habrocomes cum ephēbis, puellarum spectaculum, quantumvis iucundum, animis omnium excidit, conversisque in eum oculis, spectaculo adtoniti, exclamabant: «o pulcrum Habrocomen, et, ut nemo unus, formosi dei simulacrum!» Iamque etiam inventi sunt qui adderent: «papae! quale conubium Habrocomis et Anthiae!» Atque hae primae fuerunt Amoris dolosae machinationes: mox quippe ad ambos vulgi de se iudicium pervenit, et Anthia Habrocomen videre cupiit, et Anthiam Habrocomes, qui adhuc ab amore alienus fuerat.

III. Ut igitur, peracta pompa, templum ingressa est omnis turba ad sacrificandum; solutus est pompae ordo, et convenere eodem viri ac mulieres, adolescentes et virgines. Ibi simul ac ambo se conspexerunt, Anthia Habrocomis forma capitur, Habrocomes ab Amore devictus, puellam usque contemplatur, neque si velit, removere valet oculos, namque retinebat eum insidens illi deus. Anthia porro animo aegra esse coepit, quae totis et expansis oculis Habrocomis formam illabentem excipiens, iam etiam virginale decorum nihili pendebat: etenim et libenter loquuta fuerit quidpiam, ut Habrocomes audiret, et partes corporis nudaverit, quae quidem honeste detegi possint, ut Habrocomes spectaret. Is vero, qui se totum adspectandae puellae tradiderat, iam in dei pervenerat captivitatem. Ac tum quidem, sacrificio absoluto, moerentes discedunt, tam citum discessum querentes, seque invicem spectandi cupidi, subsistebant idemtidem et convertebant se, plurimosque morae praetextus reperiebant. Ubi vero domum ambo rediere, tum demum animadverterunt in quae mala essent delapsi, et subeunte mutui adspectus cogitatione, amor in iis magis accendebatur, quodque supererat diei adeo crescentem fovebant cupidinem, ut quum dormiendi tempus adesset, in summo angore versarentur, et neuter amoris vim ferre valeret.

IV. Habrocomes adreptam scindens comam, vestemque dilacerans, «hei! mihi, inquit, quid istuc est mali? quid patior infelix? Fortis adhuc Habrocomes, qui Amorem despiciebam, et in deum contumeliosus eram, nunc captus, victusque sum, et puellae servire cogor. Iam est qui me pulchrior videtur, iam Cupidinem deum adpello. O me prorsus ignavum et miserum! Non iam animum obfirmabo meum? Non manebo generosus? Non ero praestantior Amore? Nunc, quem pro nihilo habui, deum vincere me oportet. Pulchra est virgo! Quid tandem? Tuis oculis, Habrocome, formosa est Anthia, at, si volueris, nequaquam ipsi tibi. Statuta haec sunt: numquam Amor me superabit.» Haec dicentem acrius urget deus, renitentem trahit, angitque nolentem. At ille, qui iam amplius durare nequiret, humi sese abiiciens, «vicisti, inquit, Amor, magnum tibi trophaeum excitatum est de Habrocomis temperantia. Supplicem habes, intemperantem,



tuum, ad te confugientem omnium dominum. Ne me despicias, neque nimius confidentiae meae vindex esto. Nondum, Amor, tuas vires expertus, arroganter me gessi: at nunc Anthiam nobis concilia. Ne sis tam acerbus in resistentem, quam devicto propitius deus.» Haec ille: Amor vero adhuc irascebatur Habrocomi, gravesque ab eo contemptus poenas repetere meditabatur. Anthia quoque aegritudine premebatur, cui diutius perferendae impar, suscitans se, et eos qui aderant latere studens, «heu! inquit, miserae quid accidit mihi? Virgo quum sim, praeter aetatem amore teneor, et novo quodam modo, quique puellam dedecet, angor. Habrocomen deperio, formosum quidem, sed arrogantem equis erit desiderio modus? Quis malorum terminus? Quem amo, severum pectus est; ego, virgo custodita, quem mihi auxiliatorem adsumam, quicum omnia communicem? Ubi vero Habrocomen videre continget?» Dum haec uterque tota nocte lamentatur, alter alterius vultum ob oculos habebat, animo videlicet sibi effingens alterius imaginem.

V. Ubi illuxit, Habrocomes ad solita exercitia se contulit, puella ad consuetum deae cultum. Erant vero corpora eorum ex praeterita nocte defatigata, vultus moestus, color immutatus. Diu se hoc ita habebat, neque erat quod eos iuaret. Interea toto die in divae fano morantes, oculos in se mutuo defigebant, verecundantes alter alteri quod res erat eloqui. Tantum ingemiscere sub inde solebat Habrocomes, lacrymansque preces fundere, virgine aurem cum miseratione praebente. Eodem quidem modo Anthia quoque adfecta erat, simul et multo graviore morbo tenebatur; nam si quando alias puellas mulieresve Habrocomen intuentes deprehenderet, (omnes autem in eum oculos coniciebant) manifestum erat eam contristari, timentem scilicet ne formae decore superaretur. Vota porro ad deam uterque communiter ferebat, tacita quidem, sed similia tamen. Procedente tempore adolescens amplius durare nequibat, iamque totum ei corpus macie confectum erat, animoque ita conciderat, ut Lycomedes et Themisto in multa versarentur anxietate, ignorantes quidnam esset quod Habrocomi accidisset, sed ex iis, quae oculis cernere erat, in metum coniecti. De Anthia simili erant in formidine Megamedes et Euipe, quod formam eius deflorescere viderent, nulla morbi adparente caussa. Tandem adducunt ad puellam vates et sacerdotes, qui mali depellendi rationem invenirent. Isti vero hostias immolare, varia libamenta barbaricis additis vocibus fundere, dictitare se his numina quaedam placare, et simulate malum a diis inferis immisum caussari. Multum etiam pro Habrocomis salute sacrificabat Lycomedes et supplicabat, at neutri tamen amantium levatio contigit, immo vero amor in iis magis adhuc accendebatur. Itaque ambo morbo correpti, atque in magno discrimine versantes, iam iam sese morituros esse exspectarant, neque malum suum patefacere quibant. Postremo utriusque parentes deos consultum mittunt qui de caussa morbi, deque eius remedio sciscitarentur.

VI. Non longe distat templum Apollinis Colophonii, nam traiectus ab Epheso est octoginta tantum stadiorum. Huc quum ab utriusque parentibus missi advenissent, rogant deum, uti quod verum esset vaticinaretur; et quandoquidem ob easdem caussas

accesserant, commune etiam utrisque responsum deus hisce carminibus reddidit:

Quis morbi finis, quae scire optatis origo:

Idem morbus utrique: salus exinde futura est.

Multa pati video, longos et adire labores,

Errantes, actos rabie maria omnia circum.

Vincla ferent, queis dura premet gens, quae mare currit.

Ambobus tumulus torus, exitiosaque flamma.

Dona dehinc sanctae dabis Isidi, sospita quae te

Fluminis ad sacri servabit clara fluenta.

Post mala sed video meliores volvere casus.

VII. Simul ut haec vaticinia Ephesum perlata sunt, parentes amantium, inopes consilii, et qualenam esset illud malum prorsus incerti erant, neque enim quid sibi vellent dei responsa conicere poterant; qui videlicet morbus, quae fuga, quae vincula, quis tumulus, quod flumen, cuiusmodi divinum auxilium innueretur. Visum est ergo, postquam diu deliberassent, oraculum, qua liceret, mollius interpretari, connubioque iungere liberos suos, quasi id responso suo deus quoque monuerit. His ita constitutis, decreverunt eos, peractis nuptiis, peregre ad aliquod tempus mittere. Iam per urbem epulis et coronis omnia plena, erantque in sermone omnium imminentes nuptiae. Beati a cunctis praedicabantur, Habrocomes, quod Anthiam ducturus esset uxorem, haec, quod tali esset adolescenti [iungenda] <concubitura>. Laetabatur iste admodum, de responso et nuptiis certior factus, quod Anthia esset potiturus, neque eum vaticinia terrebant, sed praesentem iucunditatem superare malum quodcumque rebatur. Ad haec gaudebat et Anthia desponsam se esse Habrocomi, parum sollicita qualis sibi fuga et calamitas portenderetur, quippe malorum futurorum in Habrocome solatium habitura.

VIII. Igitur ubi nuptiarum tempus advenit, pervigilia celebrata fuere, et multae hostiae deae immolatae. Quibus peractis, adventante nocte (cunctari vero multum Habrocomi et Anthiae videbatur) deducunt puellam cum lampadibus in thalamum, hymenaeum canentes, et fausta precantes, sicque introductam geniali toro componunt. Erat is hoc modo exornatus: sponda aurea, lectus stragulis purpureis stratus, pictoque Babylonio tapete opertus. Visebantur in eo ludentes Cupidines, quorum alii Veneri famulabantur, (inerat enim huius quoque imago) alii passeribus tamquam equis insidebant, hi coronas nectebant, illi flores adferebant. Haec in una parte aulaei. In altera Mars erat non armatus, sed velut ad amicam Venerem accedens, ornatus, corona redimitus, et chlamyde amictus. Dux viae erat Amor, lampada gestans ardentem. In isto aulaeo recumbere fecerunt Anthiam, Habrocomi admoventes, foresque clausurunt.

IX. Tum vero ambobus accidit ut eodem modo adficerentur, neque enim alter alterum adfari, neque contra intueri potis erat, sed iacebant voluptate resoluti, pudibundi, verentes, anhelii, dulcedine perfusi: tota mente atque omnibus artubus contremiscebant. Tandem, ubi se collegit Habrocomes, Anthiam amplexatur, illa vero plorabat, anima eius lacrymas, desiderii scilicet tesseras, praemittente. Et Habrocomes, «o inquit,

nox exoptatissima, quam vix tandem sum nactus, tot aliis antea misere exactis! O puella luce mihi carior, et omnium umquam celebratarum felicissima! amatorem habes virum, quicum vivere ac mori contingat castae coniugi.» His dictis eam osculatur, excipitque lacrymas, quae nectare quovis suaviores ipsi sunt visae, et quocumque medicamento ad dolorem levandum valentiores. Illa vero paucis eum compellans, «itane, inquit, venusta tibi videor, Habrocome, et, secundum tuam pulcritudinem, tibi placeo? Ignave ac timide, quamdiu amare cunctatus es! Quamdiu insuper habuisti! Ex meis malis novi quae ipse sis passus. Verum age, iam meas excipe lacrymas, bibantque elegantes tuae comae amoris potionem, atque invicem coalescentes permisceamur: quin et coronas nostras mutuis lacrymis irrigemus, ut et ipsae amoris nostri fiant participes.»

Dixit, et totam eius faciem exosculatur, admovet suis oculis comas, macerat coronas lacrymis, et suaviando labra labellis consuit. Ita quae suo quisque animo habebat, per labra in alterius animum osculando transmittibat. Ac puella quidem adolescentis oculos dissuavians, «o vos, inquit, qui me toties contristastis, qui primum mihi infixistis amoris aculeum, vos quondam superbi, nunc amantes, praeclare mihi inserviistis, quippe qui mei amorem in Habrocomis animum introduxistis! Idcirco vos dissuavior, vobisque hosce adplico meos oculos, Habrocomis itidem ministros. Sic vos vero semper eadem spectetis, neque aliam Habrocomi venustam puellam ostendite, neque mihi alius quis pulcher videatur! Regite animos nostros, quemque in iis amorem accendistis, eundem quoque in iis custodite.» Haec illa. Inde prima Veneris gaudia cepere, et mutuis amplexibus iuncti requievire. Totam porro noctem inter se contendebant uter magis amare videretur.

X. Ubi illuxit, multo hilariores, ac multo alacriores surrexere, quoniam ex se invicem eum ceperant fructum, quem diu expetiverant.— Vita omnis erat eis quasi festus dies: omnia conviviis plena, iamque etiam vaticinia oblivioni data; verum nec fatum eorum deposuerat memoriam, nec vero a deo, cui ita placitum erat, negligebantur. Non multo post decreverunt parentes eos ex urbe amandare, quemadmodum deliberatum fuerat; debebant enim alias terras aliasque urbes visere, et ab Epheso aliquamdiu digressi, dei effata, quoad liceret, mitigare. Parantur adeo ad discessum omnia: magna navis cum nautis ad deducendum promptis, quae rebus necessariis quibusque, multis ac variis vestibus, multo item argento et auro, commeatus denique copia abundantissima oneratur. Ante vero quam e portu solverent, Dianae sacra fiunt, universo populo vota faciente, lacrymasque fundente, communibus veluti gnatis discessuris. Navigationem versus Aegyptum paraverant quumque dies adesset ad solvendum, multi famuli multaeque ancillae {eos comitabantur}. Ubi vero in eo erat navis ut e portu educeretur, aderat prosequens eos omnis Ephesiorum multitudo, plurimae etiam {sacrae virgines} cum lampadibus et quae ad sacrificia pertinent. Interea Lycomedes et Themisto cunctorum secum recordati, oraculi, filii, eiusque peregrinationis, humi iacebant abiecto animo. Eodem quidem modo Megamedes et Equippe adficiabantur, at alacriorem tamen gerebant animum, finem respicientes vaticiniorum. Iam nautarum fit

tumultus, solvuntur retinacula, gubernator locum suum occupat, deducitur navis, tolliturque clamor magnus cum eorum qui erant in litore, tum navigantium commixtus: illis quidem exclamantibus: carissimi liberi, dabiturne nobis, qui vos genuimus, iterum vos adspicere? his vero: o parentes, numnam vos recuperabimus? Mox lacrymae et eiulatus, cognatum ac familiarem quisque suum nomine adpellant, magnum invicem recordationis subsidium in animo nomen relinquentes. Tum Megamedes accepta patera libansque precatur ita uti navigantes exaudire possent: «o liberi, inquit, estote felices quam maxime, effugite quae in oraculis sunt dira, vos incolumes servatos recipiant Ephesii, et carissima patria rursum potiamini! Sin aliter evenerit, hoc quidem scitote, neque nos amplius in vita esse mansuros: committimus autem vos itineri aerumnoso quidem, sed necessario.» Adhuc loquentem obortae lacrymae cohibuerunt. Inde parentes in urbem redierunt, cohortante populo, ut bono sint animo.

XI. Habrocomes vero et Anthia mutuis amplexibus circumfusi iacebant, multa secum ipsis recolentes: parentum miserebantur, patriam adpetebant, metuebant sibi et oraculi responso, peregrinationem habebant suspectam; sed horum omnium solatium communis navigatio praebebat. Ac illa quidem die secundo vento usi, confecto cursu, Samum, Iunoni sacram insulam, devenerunt. Ibi sacrificant, coenant, multa precantur, et nocte instante in altum provehuntur. Prospera rursum navigatione adsiduus fit inter eos sermo. «Licebitne nobis una semper coniunctam vitam vivere?» Ac tandem Habrocomes, dum res suas secum recogitat, alte ingemiscens, «o Anthia, inquit, mea mihi vita carior, contingat nobis quidem ante omnia esse felicibus, utque simul servemur incolumes! Verum si est in fatiis nos quidpiam pati, aut quoquo modo divelli, age, dulcissima, iureiurando nos mutuo obstringamus, tu quidem, te mihi castam servaturam, neque alium virum passuram; ego vero, me aliam mulierem in contubernium non recepturum.» Ut haec audivit Anthia, vehementer plorare coepit, atque «quid est, inquit, quod tibi istud tam credibile fuit Habrocome, ut, si abs te distrahar, etiamnum de marito, quod ad me adtinet, cogitaveris? quae prorsus ne vivam quidem sine te: quare testor patriam nostram deam, magnam Ephesiorum Dianam, et hoc quod navigamus aequor, eumque qui mutuo amore pulcre nos incendit deum, me vel paullisper a te avulsam, nec victuram esse neque solem adspecturam.» Haec Anthia posteaquam dixisset, in eadem verba iuravit et Habrocomes, ipsa loci ac temporis opportunitate iuriurando eorum terrorem addente. Interea navis Coum et Gnidum praetervehitur, datque se in conspectum magna et pulchra Rhodiorum insula, quo eos adpellere omnino oportebat, cum aquandi caussa, ut aiebant nautae, tum etiam quiescendi, quod diuturna immineret navigatio. Iam vero Rhodum subducta navi, nautae descendunt, atque egreditur etiam Habrocomes manu tenens Anthiam.

XII. Convenerant omnes Rhodii, quos valde perculit adolescentum forma, nemoque erat, qui iis conspectis tacitus praeteriret. Aiebant nonnulli adventum esse deorum, adorabant alii et supplicabant. Extemplo per urbem universam it nomen Habrocomis et Anthiae. Publice iis preces adhibent, multas mactant victimas, et diem adventus

eorum festum instituunt. Illi vero, postquam totam urbem perlustrassent, auream gravem armaturam in Solis templo consecrarunt, atque in dedicantium memoriam hocce epigramma in scripserunt:

Aurea dona tibi ponunt haec arma lubentes,  
Habrocomes, Ephesi cives, atque Anthia sacrae.

His consecratis, per paucos dies in insula commorati sunt, atque nautis properantibus, commeatu instructi, solvunt, universa Rhodiorum multitudine eos prosequente. Ac initio quidem secundo vento iucundaque navigatione vecti, die illo, et nocte insequenti per Aegyptium, quod vocant, mare cursum metiuntur. Postero autem die, silentibus ventis, mari tranquillo, tarda erat navigatio: inde nautarum desidia, computationes, ebrietas, et praedictionum primordium. Habrocomi {secundum quietem} adparuit mulier horribili adspectu, magnitudine supra humanam, puniceam vestem inducta; quae, navim sistens, visa est eam incendere, ut ceteri quidem perirent, ipse vero cum Anthia enataret. Hac ille visione tum perterritus, grave quiddam ex insomniis expectabat, quod et supervenit.

XIII. Forte, dum Rhodi commorabantur, stationem iuxta eos nacti erant in magna triremi piratae genere Phoenices, qui navem adplicuerant tamquam merces advehentes, et numero plurimi ac strenui erant. Didicerant isti, aurum inesse navi et argentum, mancipia item, multaque magni pretii. Decreverant igitur eos per insidias adoriri, qui armis contenderent interficere, ceteros in Phoenicem cum reliqua praeda vendendos abducere: spernebant eos scilicet tamquam pugnae impares. Piratarum princeps Corymbus vocabatur, iuvenis adspectu grandis, vultu terribili, coma squalida et demissa. Hoc piratae consilio capto, primum iuxta Habrocomen placide navigant, tandem vero (meridies erat fere, iacebantque in navi omnes ebrietate et desidia partim sopiti, partim languentes atque animo remissi) Corymbus cum suis impulsa triremi magna celeritate se Habrocomis navi admovet, et quum proxime accessissent, annati, nudatis gladiis in eam insiliunt. Tum vero sese alii perterriti in mare deiiciunt, ac pereunt, alii dum se defendere conantur, interficiuntur. Habrocomes et Anthia ad praedonem Corymbum adcurrunt, eiusque genua amplexi, «bona quidem nostra, inquit, here, et nos ipsos servos tibi habeto, at parce vitae, neque iam ultro se tibi subiicientes occide: quod te per hoc ipsum mare, per hanc tuam dextram obtestamur. Quo vis abduc nos, vende servos tuos, in hoc dumtaxat nostri miserere, ut uni hero tradas.»

XIV. His auditis Corymbus, statim, ut caedere desisterent, suis imperavit, traductisque sarcinis pretiosioribus, Habrocome item et Anthia, aliisque paucis quibusdam servis, navem incendit: ita ceteri omnes exusti sunt; etenim abducere cunctos nec poterat, nec tutum esse videbat. Miserabile vero spectaculum erat, hinc eorum, qui in triremi avehebantur, illinc eorum, qui in navi amburebantur, manus tendebant, atque eiulabant. Et isti quidem clamabant: «quonam heri abducemini? Quae vos terra excipiet? Quam urbem incoletis?» Illi vero: «o vos beati, qui fortunate iam estis morituri priusquam vincula experiamini, praedonumque servitutum videatis!» Haec inter dicta ave-

hebantur isti, illi comburebantur. Tum vero Habrocomis paedagogus, senex iam, adspectu venerabilis, et propter aetatem miserandus, abductum Habrocomen videre non sustinens, in mare sese praecipitans natabat, ut triremem adsequeretur. «Ubi me, inquit, deseres, mi fili, senem paedagogum, et quo abiens, Habrocome? Quin tu ipse me miserum occide, et sepulcro conde, qui enim vivam sine te?» Haec ille: ac tandem Habrocomen in posterum videre desperans, fluctibus sese tradidit, atque interiit. Hoc quoque omnium luctuosissimum accidit Habrocomi; etenim manus protendit seni, ac piratas hortatus est, uti eum susciperent; verum illi, nihil curantes, tridui navigatione peracta, ad Phoeniciae urbem Tyrum adpulerunt, ubi erant piratis domicilia. Ac in urbem quidem ipsam eos non deduxerunt, sed in vicinam Apsyrti cuiusdam praedonum ducis sedem, cui et Corymbus minister erat, mercede et praedae parte conductus. Inter navigationis spatium, ex crebro quotidiano adspectu, Corymbus amare coepit Habrocomen, ac vehementi quidem amore, accendebatque eum maiorem in modum familiaritas cum adolescente. Et inter ipsum quidem cursum fieri non posse putabat ut flecteret; (videbat enim eum aegritudine premi, et animadvertibat Anthiae amore esse captum) at vero vim inferre periculosum esse adparebat, metuebat quippe ne quid gravius in sese admitteret.

XV. Ubi autem Tyrum adpulerunt, durare amplius non valens, initio quidem observabat Habrocomen, hortabatur bono esse animo, omnibusque officiis prosequabatur; iste vero existimabat Corymbum sui misertum hoc sibi studium navare, deinde autem socium quendam praedonem, nomine Euxinum, amoris sui conscium facit, rogat uti sibi adiutor sit, consiliumque det quonam modo perducere possit adolescentem. Laetus ista Corymbi audit Euxinus (etenim ipse Anthiae desiderio conficiebatur, puellamque saevo amore deperibat) sua porro Corymbo narrat, et ne ulterius se adffictet, sed instet operi suadet: «valde enim, inquit, ignavum fuerit, dimicantes intrepide nos discrimini obiicere, at labore partis fidenter non frui: licebit autem delectos hos ab Apsyrtio dono accipere.» Quae quum dixisset, facile amanti persuadet, atque adeo paciscuntur inter se pari modo alter pro altero verba facere, et hic quidem Habrocomen perducere, Corymbusve Anthiam.

XVI. Eodem tempore iacebant illi animo abiecto, multa de his quae futura opinabantur invicem sermocinantes, atque idemtidem iurantes se pacta conventa servaturos. Tum Corymbus et Euxinus ad eos accedunt, et aliquid aientes seorsum dicere velle, secum abducunt ille Anthiam, iste Habrocomen: quibus animi palpitabant, nihil boni subesse suspicantibus. Euxinus igitur pro Corymbo Habrocomen sic adloquitur. «Par est quidem, adolescens, aegre ferre te calamitatem istam, utpote servus e libero, pauper e divite factus; verum cum animo tuo reputare cuncta oportet, praesenti fortunae adquiescere, et quos nactus es dominos amare. Scito autem in tua esse potestate prosperitatem ac libertatem recuperare, si Corymbo hero volueris obsequi: nam vehementer te amat, paratusque est rerum suarum omnium te dominum facere. Grave quidem nihil pati, benevolentiolem vero tibi herum reddes. Quo in statu sis cogita: auxilia-

tor nullus, terra haec ignota, heri piratae, nullumque ultionis effugium Corymbum fastidienti. Quid tibi nunc opus uxore ac sollicitudinibus? Quid amica, id aetatis quum sis? Abiice haec omnia: unum herum respicere te necessum est, eiusque iussis obtemperare.» Haec audiens Habrocomes primum quidem obstupuit, neque inveniebat quidquam quod responderet, sed lacrymabat atque ingemiscebat, secum considerans in quae tandem mala incidisset, deinde vero Euxinum sic adfatur: sine me, here, paullisper deliberare, post ad omnia dicta tibi respondebo. Accessit tum Euxinus. Corymbus itidem Anthiae Euxini amorem exposuerat, praesentemque necessitatem heris usquequaque morem gerendi; multa pollicitus, legitimas nuptias, pecuniam, omniumque rerum abundantiam si pareat. At illa eadem respondit, breve tempus ad deliberandum postulans. Igitur Euxinus et Corymbus exspectabant invicem quid essent audituri, sperabant autem se illos facile esse inducturos.

## LIBER II.

I. Habrocomes et Anthia cellam in qua habitare consueverant ingressi, dum sibi narant quae audiverant, humi strati plorabant et lamentabantur. «O pater! exclamabant, o mater, o patria carissima! et domestici, atque cognati!» Tandem vero se colligens Habrocomes, «eheu nos, inquit, infelices! quid demum patiemur in terra barbarorum praedonum, ipsorum iniuriis obiecti? Iam praedictorum initium fit: iam deus arrogantiae meae poenam exigit. Adamat me Corymbus, te Euxilius. O importunam utriusque formam! Ad hoc igitur me tamdiu castum servavi, ut praedoni turpi cupidine flagrante me subiicerem? Quaeenam mihi vita reliqua est, qui scortum pro viro evasi, et Anthia mea defraudor? Verum per pudicitiam iuro, usque adhuc a puero mihi contubernalem, me Corymbo neutiquam memet subiecturum: mortem obibo potius, castusque reperiar esse mortuus.» His dictis illacrymari coepit. Anthia vero, «heu quanta, inquit, mala! cito sane iusiurandum nostrum servare cogimur, cito servitutum experimur. Adamans me quidam, sperabat pellicere, et cubile meum ascendere post Habrocomen, atque una cubare, suamque cupiditatem explere; verum non deprehendar ego tam esse vitae cupida, neque talem perpessa contumeliam solem adspicere sustineam. Decretum est, moriamur Habrocome: tenebimus nos post mortem, a nemine sollicitati.»

II. Ac ii quidem ita statuerunt. Inter haec Apsyrus latrocinii praefectus, quum accepisset rediisse cum suis Corymbum magnasque et admirabiles opes adtulisse, in eum locum venerat, utque Habrocomen et Anthiam conspexit, eorum formam demiratus est; quam sibi magno lucro fore intelligens, statim eos sibi dari postulavit; cetera vero, pecunias, suppellectilem, et virgines quotquot fuerant captae, Corymbo eiusque sociis piratis divisit Euxinus et Corymbus inviti quidem Apsyrto concedebant Habrocomen et Anthiam, sed coacti scilicet cesserunt. Inde, illis abeuntibus, Apsyrus Habrocomen et Anthiam famulosque duos Leuconem et Rhodam adsumptos Tyrum duxit. Spectabilis fuit illorum deductio: demirabantur omnes pulcritudinem, putabantque homines barbari, quibus numquam antea tanta visa esset venustas, deos esse quos

conspiciebant, et beatum, qui talia possideret mancipia, praedicabant Apsyrtum. Hic autem illos domum perductos fido famulo tradit, curamque eorum habere iubet, quo videlicet quam plurimum lucri faciat, ubi eos condigno pretio vendere contigerit.

III. Hoc modo se habebant res Habrocomis et Anthiae. Paucis interiectis diebus, quum Apsyrtus alterius mercaturae caussa in Syriam abiisset, eius filia, cui nomen Manto, deperire coepit Habrocomen. Venusta quidem iamque viro matura erat, at multum tamen aberat ab Habrocomis pulcritudine. Haec ex familiari cum adolescente convictu capitur, quumque sese cohibere non posset, quid faceret dubia erat; neque enim id illi audebat aperire, quem et habere uxorem sciebat, et flectere posse neutiquam sperabat, nec alii cuiquam suorum, metu patris. Quo adeo magis accendebatur, ac misere se habebat, neque amplius durare valens, constituit indicare amorem suum Rhodae, quae puella aequalis et conlactanea Anthiae erat, quamque unam sperabat cupiditatis suae adiutricem futuram. Igitur, otium nacta, puellam in sacellum patris domesticum adducit, rogat ne se prodat, et iureiurando accepto, amorem in Habrocomen proloquitur, supplicat ut se adiuvet, multa opitulanti pollicita. «Scito, inquit, te mihi esse servam, noveris porro te iram laesae barbarae mulieris experturam.» His dictis Rhodam dimisit. Haec vero in difficultate inexplicabili versabatur, nam et Habrocomi rem eloqui recusabat, Anthiae amore, et valde metuebat barbarae iram. Commodum ergo visum est, quae Manto dixisset, primum cum Mucone communicare, quo Rhoda in primis familiariter utebatur, iam enim Ephesi secum consueverant. Nunc ubi eum solum deprehendit, «prorsus, inquit, periimus, o Leucon: iam diutius non habebimus conlactaneos nostros. Apsyrti heri filia vehementi amore Habrocomis tenetur, minitatur autem, ni potiatur, aspere nos tractatura: itaque quid agendum sit considera; nam barbarae adversari periculosum est, fieri contra non potest, ut Habrocomes ab Anthia divellatur.» Haec [audiens] (cum audivisset) Leucon lacrymis sibi os opplevit, magnum inde infortunium exspectans. Tandem vero postquam se recepisset, «tace, inquit, Rhoda, ego enim singula componam.»

IV. His dictis Habrocomen adit. Huic vero iam nihil curae erat nisi amare Anthiam, et ab illa amari, eamque adloqui, et loquentem audire. Ad illos igitur accedens, «quid agimus, inquit, sodales? Quid, servi, deliberamus? Pulcher videris, Habrocome, cuidam ex heris. Apsyrti filia aegritudine conficitur propter te, et amanti barbarae virgini repugnare arduum est. Tu itaque, quem admodum tibi videtur, deliberans, nos omnes serva, neque committe, ut herili iracundiae subiiciamur.» His auditis Habrocomes continuo ira completur, et intentis oculis Leuconem intuens, «o improbe, inquit, et Phoenicibus hisce barbarior, tunc talia ausus es verba ad Habrocomen loqui, aliamque puellam mihi, Anthia praesente, memorare? Servus quidem sum, verum promissa servare scio. In corpus meum potestatem habent, attamen liberum animum gero. Minetur Manto, si libet, gladios, laqueos, ignem, et cuncta quae servile corpus ferre potest, numquam certe adducar, ut volens Anthiae sim infidelis.» Ille quidem sic est loquutus, Anthia vero calamitate afflicta obstupuit, nec quidquam proloqui valebat, donec vix tandem sese



excitans, «quidem, ait, perspicio benevolentiam tuam erga me, Habrocome, atque insin-  
gniter abs te amari confido, verum obsecro te, animae dominum meae, ne temet pro-  
das, neve obiicias irae barbaricae: herae cupiditati obsequere, atque ego vobis de medio  
recedam, occidens me. Hoc tantum te precabor, ipse sepelito, procumbentem exoscu-  
lare, atque Anthiae esto memor.» Omnia ista in maiorem aerumnam Habrocomen addu-  
xere, quid de se fieret nescium.

V. Iam hi quidem in hoc statu erant; at Manto, dum Rhoda tardat, amplius iam per-  
peti nequit, scribitque ad Habrocomen epistolium, cui haec erant verba inscripta:  
„Habrocomi formoso hera tua salutem. Manto te amat, neque diutius ferre amorem  
potis est. Itaque (quod quidem sane virgini indecorum, amanti vero necessarium est)  
precor ne me despicias, neu contumeliosus sis in eam quae tuum sequitur commodum;  
nam si obsecundaveris, patrem ege meum Apsyrtem inducam, ut me tibi connubio iun-  
gat, et quam nunc habes coniugem amoliamur. Dives eris et beatus: quod si vero resti-  
teris, qualia et ipse sis passurus, (ulciscense se quae despiciatui sit habita) et qualia qui  
tecum sunt consociati fastidii tui consultores, cogita.“ Has literas obsignatas ancillae  
cuidam suae barbarae tradit, mandans ut Habrocomi reddat. Qui acceptas ut perlegit,  
graviter tulit ea omnia quae scripta inerant, in primis vero eum contristabant quae de  
Anthia dicebantur. Ac illas quidem tabellas retinet, alias autem ancillae dat, his verbis  
conscriptas: „Fac, hera quodcumque vis, et corpore utere ut servi: sive enim occidere  
velis paratus sum; seu tormentis excruciare, ut lubet torque: non erit ut cubile tuum  
ingrediar, neque ut obtemperem talia imperanti.“ Ubi Manto hanc epistolam accepit,  
indomita ira commovetur, cunctaque animo permiscens, invidiam et zelotypiam, moer-  
orem ac metum, meditabatur quo modo poenas a fastidiente repeteret. Et sane quum  
Apsyrtes inter id e Syria advenisset, sponsum inde filiae adducens, nomine Moeridem,  
continuo Manto fallaciam componit adversus Habrocomen, et scissa coma, lacerataque  
veste patri obviam prodit, atque ad genua accidens, «miserere, inquit, pater, filiae tuae  
a servo iniuria adfectae. Pudicus ille Habrocomes virginitatem meam violare conatus  
est, tibi vero etiam est insidiatus dum mei se dicit amantem. Tu igitur, pro talibus ausis,  
ab eo poenas exige condignas; vel, si filiam tuam servis nuptum dare voles, antevortens  
ego memet interimam.»

VI. Haec audiens Apsyrtes, et vera dicere filiam suam existimans, iam non perscrutatur  
rem ipsam, sed accessitum Habrocomen sic obiurgat: «o temerarium et scelestum  
caput! tune ausus es heros tuos contumelia adficere, et, servus, virginem vitiare volui-  
sti! sed neququam laetabere, quippe ego supplicium de te sumam, servisque ceteris  
cruciatu tui faciam ut exemplo sint.» Dixit, neque amplius ne verbum quidem audire  
sustinens, iubet servos vestem eius discindere, ignemque ac flagella adferre, et caedere  
adolescentem. Miserandum vero spectaculum erat: plagae enim totum corpus obscura-  
bant, servilium tormentorum insuetum: defluebat undique sanguis, et forma tota mar-  
cescebat. Vincula ei quoque formidolosa ignemque adhibuit, et vel maxime tormentis  
in eum usus est, ut filiae sponso ostenderet quam pudicam esset uxorem habiturus.

Haec dum aguntur, Anthia ad Apsyrti genua accidens pro Habrocome deprecatur, at ille, «quin etiam, inquit, tui caussa magis plectetur quod te quoque iniuria adfecit, uxorem habens aliam adamans.» Dein iubet in vincula coniectum tenebroso quodam carceri includi.

VII. Igitur hic quidem vinctus in carcere adservabatur, (gravis autem desperatio eum cepit, inprimis quod Anthiam non videbat; itaque plures mortis modos quaesivit, at nullum invenit, quoniam multi aderant custodes) Apsyrtus vero filiae nuptias fecit, plurimosque festos dies agitaverunt. Anthia undique luctu precabatur, et si quando posset carceris custodes flectere, clam ad Habrocomen adibat, et communes calamitates deplorabat. Quum vero iam in Syriam abire pararent, Apsyrtus plurimis muneribus filiam Manto prosequutus, vestes ei Babylonicas et auri atque argenti copiam largitus est; tum etiam Anthiam cum Rhoda et Leucone dono dedit. Haec igitur intelligens Anthia, seque in Syriam cum Manto esse abducendam, ubi in carcerem intrare licuit, Habrocomis amplexibus circumfusa, «domine, inquit, in Syriam ducor, Manto donata, zelotypae scilicet in manus tradita; tu vero, in custodia manens, misere moriere, ne habens quidem qui corpus tuum rite componat: attamen tibi iuro utriusque nostri genium, manebo tua, sive vivens, sive etiam mori oportuerit.» Haec loquuta osculatur eum atque amplexatur, et amanter vincula complectens, ad eius pedes provolvitur.

VIII. Posteaquam Anthia tandem carcere exiit, confestim Habrocomes humi se abiiciens, ingemuit ploravitque, «o pater, exclamans, carissime, o mater Themisto! Ubi illa quondam Ephesi celebrata felicitas? Ubi clari illi, Anthia et Habrocomes, admirabiles, formosi? Longe gentium abscedit illa quidem captiva, ego vero vel unico hoc solatio privatus, moriar infelix in vinculis solus.» Haec dicentem corripit somnus, adestque ei somnium. Videbatur sibi videre patrem Lycomedem indutum nigra veste terras circum omnes et maria errantem, qui, carcerem ingressus, exsolveret se vinculis, atque e custodia emitteret; se vero, in equum mutatum, per amplas regiones ferri equam sectantem, eamque tandem adsequutum, rursus hominem evadere. Haec videre sibi visus exsiluit, et paullulum bene sperare coepit.

IX. Hic interim carcere includebatur, Anthia vero cum Leucone et Rhoda ducebatur in Syriam. Manto, ubi cum suis Antiochiam venit, illinc videlicet erat Moeris, tum in Rhodam odium gerebat, tum Anthiam aversabatur. Ac sane Rhodam quidem statim cum Leucone iubet navigio alicui imposito longissime a terra Syria venundari; Anthiam autem mancipio in contubernium dare destinabat, idque despiciatissimo cuidam caprario agresti, existimans hoc pacto poenam de ea capere posse. Arcessito igitur caprario cui Lamponi nomen, tradit ei Anthiam, imperat uxoris loco habeat, et si recuset, vim inferre praecipit. Itaque rus abducitur ista cum caprario convictura. Quae postquam in eum fundum devenit, ubi Lampon capras pascebat, ad genua eius se abiicit, oratque supplex ut sui misereatur, et se puram servet: narrat porro quae sit, pristinam ingenuitatem, maritum, captivitatem. His auditis Lampon, puellae miseritus, impolutam servaturum se pollicetur, iubetque bonum habere animum.

X. Iam haec quidem in agro apud caprarium degebat, usque lugens Habrocomen; Apsyrtus autem cellam scrutatus, in qua Habraocomes ante supplicium habitaverat, incidit in epistolium illud Mantus ad Habrocomen, literarum formas agnovit, et Habrocomen immerito puniri didicit. Igitur statim et solvi eum iubet, et in conspectum adduci. Ille, tristia et miseranda passus, procumbit genibus Apsyrti; at hic erigens eum, «bono animo es, inquit, adolescens, iniuste condemnavi te, filiae dictis fidem habens: verum nunc te ex servo liberum faciam, familiam tibi meam regendam dabo, uxoremque adiungam civis alicuius filiam; neque vero praeteritarum iniuriarum memor sis, quippe mea sponte in te iniquus non fui.» Haec aiebat Apsyrtus. Habrocomes autem, «quin potius, inquit, gratiam habeo tibi here, cum quod verum deprehendisti, tum quod continentiam meam remuneraris.» Laeti vero erant omnes in domo de Habrocome, et domino gratiam eius caussa debebant. Ipse contra in summo moerore erat Anthiae caussa, ac saepe secum ipse sic cogitabat: «quo mihi libertas? quo divitiae et cura rei familiaris Apsyrti? Non me decet hanc vitae conditionem sequi: illam modo reperiam sive vivam sive mortuam.» Dum Habrocomes in administratione rerum Apsyrti versatur, meditans quando quove loco Anthiam esset inventurus; Leucon et Rhoda Xanthum, Lyciae urbem, abducti; (remota est nonnihil a mari haec urbs) ibidem venditi fuere seni cuidam, qui eos apud se cum omni cura habebat liberorum loco, etenim prole carebat. Vivebant isthic quidem in rerum omnium adfluentia, sed angebantur quod Anthiam et Habrocomen non viderent.

XI. Iam per aliquod tempus Anthia apud caprarium erat, quum Moeris, vir Mantus, crebro in agrum veniens, vehementi amore amare coepit Anthiam. Primum celare amorem conabatur, tandem vero aperit caprario, multaque clam habenti pollicetur. Iste Moeridi spondet quidem silentium, sed Manto metuens, eam adit, et Moeridis amorem narrat. Quae irascens, «me inquit, mulierum omnium infelicissimam! Quae rivalem istam circumduco, per quam primum in Phoenice dilectus meus mihi fuit ademptus, nunc de viro periculum est. Verum haud impune Anthia Moeridi quoque pulcra videatur, ego enim ab illa, etiam ob ea quae Tyri gesta sunt, poenas reposcam.» Tunc igitur tranquilla quidem erat; sed postquam Moeris peregre abiit, caprarium arcessit, eique imperat, ut Anthiam in densissimam silvam abductam occidat, seque ob eam rem mercedem ei daturam pollicetur. Ille tum puellae misericordia permotus, tum Manto veritus, Anthiam adit, et quae in illam statuta sint narrat. Haec vero plorare et lamentari: «vah, inquit, istam formam utrique ubivis insidiosam! Ob importunam pulcritudinem Habrocomes Tyri moritur, hic ego. Iam id oro te, Lampon caprarie, qui te adhuc pie gessisti, si interemeris, leviter saltem vicina in terra conde, tuasque manus meis oculis impone, et sepeliens, Habrocomen adsidue invoca: cum Habrocome mihi funus istud felix fuerit.» Haec illa dicente caprarius ad misericordiam inducitur, considerans quam impium facinus sit factururus, si tam pulcram puellam nil commeritam occideret. Itaque puellam abducere ut interficeret non sustinuit, sed his eam verbis adloquitur: «Nosti, Anthia, heram Manto mihi imperasse, ut abductam te occiderem, ego vero deos metu-

ens, et formae misertus, te procul ab hac terra vendere malo, ne Manto, edocta te non periisse, me potius male accipiat.» Illa cum lacrimis eius pedes amplectens, «dii, inquit, atque tu patria Diana, (ob ea beneficia) caprarium hunc remuneramini!» postulatque venundari. Igitur caprarius secum abducens Anthiam, in portum abiit, ibique Cilices mercatores nactus, puellam venum dedit, acceptoque pretio in agrum rediit. Mercatores puellam in navim ducunt, et nocte adventante in Ciliciam cursum dirigunt; verum adverso vento prohibiti fuere, et fracta navi, vix in quadam tabula serrati ad litus nonnulli pervenerunt, secum habentes Anthiam. Eo loco silva erat densa: per quam adeo nocte illa palantes, capti sunt ab iis qui cum latrone Hippothoo erant.

XII. Inter haec servus e Syria advenerat, a Manto hasce literas ad patrem Apsyrum perferens: „Collocasti me viro in terra externa. Anthiam porro, quam cum aliis servitiis mihi dono dederas, ob multa malefacta ruri habitare iusseram. Hanc dum in agro adsidue videt egregius ille Moeris, amare coepit. Quod ego quum ferre diutius nequirem, caprarium arcessivi, eique mandavi, ut puellam in aliquo Syriae oppido rursus vendat.“ Haec intelligens Habrocomes, manere diutius non sustinuit. Igitur clam Apsyrum atque omnes qui erant in aedibus, abijt Anthiam investigaturus: quumque in agrum pervenisset, ubi cum caprario Anthia fuerat commorata, divertitur apud Lamponem, caprarium illum cui Manto Anthiam nuptum dederat, eumque rogat, ut sibi dicat si quid novisset de Tyria quadam puella. Caprarius et nomen, quod Anthia sit, et matrimonium, et suum in eo pium obsequium, deinde Moeridis amorem, et adversus Anthiam mandata, tum iter in Ciliciam narrat; addit denique puellam Habrocomis cuiusdam semper meminisse. Hic qui sit non eloquitur, sed diluculo surgens Ciliciam petit, Anthiam ibi se inventurum sperans.

XIII. Hippothous latro cum suis, posteaquam totam illam noctem essent convivati, postero die sacrificare instituerat. Parata erant omnia, Martis simulacra, ligna, et coronamenta: sacra vero solito more fieri oportebat. Hostiam immolandam, sive pecus esset, ex arbore suspendebant, et remoti petebant iaculis. Quotquot adtingebant, eorum sacrificium admittere deus existimabatur, qui vero aberraverant, iterato sacrificio deum placabant. Hoc modo Anthia erat immolanda. Quum igitur, omnibus adparatis, suspendere puellam vellent, tum fragor in silva atque hominum strepitus est exauditus. Erat autem paci in Cilicia tuendae praefectus nomine Perilaus, vir inter primarios Ciliciae, qui cum magna manu latronibus superveniens, omnes occidit, praeter paucos, quos vivos cepit: solus Hippothous, adsumtis armis, aufugere potuit. Perilaus Anthiam quoque ceperat, deque instante illi calamitate certior factus, misericordia est commotus. Ingentis sane infortunii exordium fuit haec Anthiae misericordia. Nam posteaquam eam una cum latronibus simul praehensis Tarsum Ciliciae urbem deduxisset, consuetus eum puellae adspectus in amorem induxerat, ac sensim captus Anthia est Perilaus. Ut igitur Tarsum ventum est, latrones in custodiam tradidit, Anthiam vero colere coepit. Non erat Perilao nec uxor neque liberi, at divitiarum copia non exigua: solebat itaque Anthiae dicere, eam sibi fore pro omnibus, uxore, domina, et liberis. Principio quidem

illa obsistere, deinde quid ageret nescia, urgenti acriusque incumbenti, metu ne quid violentius auderet, adnuit quidem matrimonium, obsecrat vero eum, ut paullisper, circiter per dies triginta, exspectet, atque intactam servet. Simulanti Perilaus fidem habet, iuratque se illam puram a nuptiis servaturum donec tempus istud praeterierit.

XIV. Dum Anthia cum Perilao Tarsi commoratur et nuptiarum tempus exspectat, interea Habrocomes iter in Ciliciam prosequitur, nec longe ab antro latronum (nam et ipse a recta via aberraverat) fit obvius Hippothoo armato. Qui ut illum conspexit, occurrens amice complectitur, rogatque viae se comitem adiungat: «Video ideo enim, inquit, adolescens, quicumque sis, et adspectu te esse pulcrum, et praeterea strenuum; adparet etiam omnino te iniuriam aliquam passum errare. Quare age, relicta Cilicia, in Cappadociam eamus et Pontum Cappadocium, quem videlicet beatos homines aiunt incolere.» Habrocomes de Anthiae investigatione nil aperit quidem, adsentitur vero urgenti Hippothoo, et de mutua opera atque auxilio iusiurandum inter se dant, sperabat porro Habrocomes se latius vagando Anthiam inventurum. Itaque die illa ad antrum reversi, si quidem iis adhuc aliquid reliqui erat, sese et equum refecerunt: erat enim Hippothoo equus in silva absconditus.

### LIBER III.

I. Insequenti die, Ciliciam relinquentes, iter fecerunt Mazacam versus, Cappadociae urbem magnam et pulcram: illinc enim Habrocomes in animo habebat, collectis virentibus iuvenibus, rursum praedonum agmen conficere. Amplos pagos transeuntibus omnium quae ad vitam necessaria sunt abundantia suppeditabatur; etenim Hippothous peritus erat linguae Cappadocum, itaque eum cuncti tamquam indigenam tractabant. Confecto decem dierum itinere, Mazacam perveniunt, ibique in domum iuxta portas immigrantes, constituunt se aliquot dies ex labore recreare. Iam vero, convivantibus illis, quum Hippothous ingemiscere ac lacrymari coepisset, quaesivit ab eo Habrocomes, quae caussa esset lacrymarum; cui ille: «longa est, inquit, rerum mearum commemoratio, et tragicae calamitatis plena.» Nihilo minus petit Habrocomes ut eloquatur, sua ipsius narraturum se quoque pollicitus. Ille igitur ex alto repetens (soli vero erant) quae sibi accidissent exponit.

II. «Ego, inquit, genere Perinthius, (urbs est Thraciae vicina) atque e primariis sum illius civitatis. Audieris certe quam illustris sit Perinthus, quamque opulenti sint illic cives. Ibi, iuvenis etiamdum, amore sum captus adolescentuli formosi: erat is unus ex indigenis, et nomen ei Hyperanthes. Amare vero primum coeperam colluctantem intuens in gymnasiis, et continere me amplius non quibam. Igitur quum patrius festus dies eiusque per Tigilium ageretur, accedo ad Hyperanthem, atque ut mei misereatur deprecor. Haec audiens et commiserescens adolescentulus, omnia pollicetur. Primi quidem amoris viae duces fuere oscula, contactus, ac multae meae lacrymae. Tandem, occasione capta, solis una esse licuit, aetatis aequalitate suspicionem amovente. Sic diuturna inter nos consuetudo intercesserat, donec, deorum aliquo nobis invidente, advenit ecce

quidam a Byzantio (vicina haec est Perinthis) vir inter potentissimos illic cives, qui propter opes copiasque altos spiritus gerebat, Aristomachus nomine. Hic subito Perinthum ingressus, quasi ab aliquo deorum mihi immissus, Hyperanthes, qui mecum erat, conspicit, statimque capitur ab adolescentulo, eius pulcritudinem, quae adlicere quemcumque demum poterat, admirans. Non tulit is amorem moderate, sed principio adlegationibus ad puerum est usus; deinde his sibi neuitquam procedentibus, (etenim Hyperanthes ob benevolentiam erga me neminem admittebat) patrem eius, improbum hominem et pecunia servientem, sibi conciliavit. Qui ei Hyperanthes per speciem institutionis tradidit, aiebat enim se dicendi artificem esse. Iste, puerum adsumens, primum clausum tenuit, postea vero Byzantium asportavit. Sequor et ego, meis omnibus spreto, et quoties licebat, puerum conveniebam, licebat autem raro: itaque mihi parce osculum, et aegre colloquium contingebat, multis me custodientibus. Postremo quum diutius durare non possem, exstimulans memet, Perinthum redeo, et cunctis quae possidebam divenditis, collecta pecunia, Byzantium advenio, arreptoque pugione (consenserat etiam Hyperanthes) noctu Aristomachi domum intro, et puero adcubantem deprehendo, iraeque plenus, mortiferam plagam Aristomacho infligo. Per silentium autem, cunctis quiescentibus, sine mora clam egredior mecum adducens Hyperanthes, et per totam noctem continuato itinere Perinthum profectus, mox, conscensa navi, omnibus insecis in Asiam navigo. Aliquamdiu prospere navigatio processit, tandem quum prope Lesbum essemus, vehemens incidit ventus, et navim evertit. Natabam ego simul cum Hyperanthe, meque ei submittens faciliorem natationem reddebam; verum sub noctem, quum diutius perdurare adolescens non posset, natando fractus interiit. Mihi autem tantummodo corpus in litus subductum servare licuit atque humare, postquam exuvias multo cum gemitu et lacrymis detraxissem. Tum invento forte integro idoneo lapide, cippum sepulcro imposui, inque pueri infelicis memoriam epigramma inscripsi, tum ex tempore compositum:

Hippothis titulum fecit claro hunc Hyperanthis,

Non altum potuit dio tumulum dare civi.

Inclutus, heu! cecidit flos magni flamine venti,

Quem rapiens pelago fors funere mersit acerbo.

Exinde Perinthum redire in animo non fuit, sed per Asiam in Phrygiam maiorem, et Pamphyliam iter converti, ibique cum inopia, tum aegritudine ex infelici casu pressus, latrocinio me commisi. Ac initio quidem satelles latrocinii sum factus, deinde vero ipse praedonum agmen in Cilicia comparavi, quod diu famosum fuit, donec tandem qui mecum erant comprehenderentur, non multo ante quam te conspexissem. Haec sors est eventorum meorum. Nunc tu, amice, tua mihi enarra, adparet enim te magna quadam accepta calamitate vagari.»

III. Habrocomes Ephesium se esse ait, puellam adamasse, eamque in matrimonium duxisse tum vaticinia, peregrinationem, piratas, Apsyrtum, Manto, vincula, fugam, caprarium, atque iter usque in Ciliciam memorat. Dum ille haec enarrat, lamentabatur

simul Hippothous, «o parentes! clamitans, o patria, quam numquam revisam! O mihi omnium carissime Hyperanthes! Tu quidem certe Habrocomes, videbis tandem aliquando atque recuperabis dilectam tuam; ego vero Hyperanthem intueri iam amplius non potero.» Haec loquutus, comam simul ostendit, et illacrymatus est. Postquam ambo abunde essent lamentati, Hippothous, respiciens Habrocomen, «aliam inquit, tibi brevem narrationem non exponens praeterii. Paulo prius quam comprehenderetur latrocinium, ad antrum palans advenerat pulcra puella, eiusdem tecum aetatis, et quae eamdem patriam habere aiebat: ultra autem nihil didici. Hanc Marti immolare decreveramus, iamque praeparata erant omnia, quum supervenerunt qui nos persequerentur. Ego quidem aufugi, at quid illa factum sit ignoro: admodum vero formosa erat, o Habrocomes, parce ornata, coma flava, oculi blandi.» Adhuc illo loquente exclamavit Habrocomes: «meam vidisti Anthiam, Hippothoe! Quonam tandem evasit? Quae illam terra habet? Ciliciam petamus, illam perquiramus, non longe aberit a praedonum receptaculo. Age, per ipsius tui Hyperanthis animam obsecro, noli me tua sponte laedere, sed eamus ubi Anthiam invenire possimus.» Hippothous omnia se facturum promittit, at nonnullos ait esse colligendos homines ad itineris securitatem. Dum isti in hisce versantur, deliberantes quo modo in Ciliciam regrederentur, Anthiae triginta dies praeterierant, et nuptiae adparabantur Perilao, ac deducebantur ex agris victimae. Magna porro aliarum rerum paratur copia. Familiares ei simul et cognati aderant: multi item e civibus convenerant ut Anthiae nuptias concelebrarent.

IV. Eo tempore, quo Anthia latronibus erepta Tarsum advenerat, illuc, postquam in Aegyptum navigans naufragium fecisset, pervenerat senex quidam Ephesius, arte medicus, Eudoxus nomine. Circumibat iste per domus nobilissimorum Tarsensium, et ab aliis vestem, ab aliis pecuniam flagitabat, narrans cuique infortunium suum: itaque etiam ad Perilaum accessit, Ephesium se et medicum esse professus. Perilaus vero eum ad Anthiam adduxit, existimans fore, ut Ephesii hominis adspectu laetaretur. Quae Eudoxum comiter accepit, interrogavitque num de suis sibi aliquid narrare haberet. Is autem nihil se scire aiebat, quod diu iam peregrinando ab Epheso abesset. Nihilo tamen minus Anthia, rerum domesticarum recordans, eo delectabatur. Itaque iam et familiarium consuetudine utebatur, et idemtidem Anthiam adibat, commodis omnibus fruens, petebatque ab ea semper ut Ephesum transmitteretur; erant quippe ei liberi et uxor.

V. Ubi igitur Perilao cuncta fuere ad nuptias praeparata, aderatque dies, convivium sumtuosum eis paratur, et Anthia nuptiali cultu exornatur. At illa neque noctu, neque interdum plorare cessabat, sed Habrocomen semper habebat ante oculos; multa porro simul animo meditabatur, amorem, iusiurandum, patriam, parentes, praesentem necessitatem, nuptias. Igitur adrepta facultate, sola quum esset, capillos lanians, «heu me, inquit, prorsus iniquam atque improbam! Quam impares Habrocomi vices rependo! Ille quidem, ut meus maneat maritus, et vincula perfert atque tormenta, immo haud dubie iam est mortuus; ego contra non modo horum immemor sum, sed et nubam infelix,

canetque mihi aliquis hymenaeum, et in Perilai lectum inscendam? Verum, o mihi omnium carissima Habrocomis anima, ne [te adfflictato] afflicteris mea caussa, numquam enim tibi volens iniuriam faciam. Adero tibi, ad mortem usque sponsa permanens tua.» Quum haec dixisset, venissetque ad eam Eudoxus medicus Ephesius, abducit eum in remotum quoddam conclave, atque, ad eius genua procidens, obsecrat ne cuiquam eloquatur quidquam eorum, quae esset dictura, perque deam patriam Dianam obtestatur, ut se adiuvet in omnibus quaecumque ab eo petierit. Eudoxus multa lamentantem erigit, ac bono esse animo iubet, omnia se praestitutum iureiurando pollicitus. Tum illa narrat Habrocomis amorem, datum illi iusiurandum, et initam pactionem de servanda pudicitia. «Quod si, inquit, vivae mihi liceret vivum Habrocomen recipere, vel clam hinc aufugere, de hisce rebus deliberarem; quando quidem autem ille occidit, et fugere non datur, nec fieri potest ut instantes nuptias perpetiar; (neque enim Habrocomi promissis non stabo, neque iusiurandum spernam) tu igitur nobis adiutor esto, medicamentum parans, quod epotum liberet me miseram a malis. Multa tibi pro hisce cum a diis tribuentur, quibus adsidue pro te ante mortem vota faciam, tum ipsa ego et pecuniam tibi dabo, et commeatum instruam, poterisque antequam aliquis resciscat, conscensa navi, Ephesum navigare. Quo ubi adveneris, parentes meos Megameden et Euippen perquires, meum illis obitum nunciabis, quaeque mihi omnia per istam peregrinationem evenerunt, periisse item Habrocomen narrabis. His dictis ad eius pedes provoluta, rogat ne sibi adversetur, utque venenum praebet: deinde viginti argenti minas suaque monilia proferens, (omnibus enim abundabat, utpote quae cuncta Perilai in sua haberet potestate) Eudoxo tradit. Ille multa animo agitans, simul puellae infortunium miseratus, et Ephesum redeundi cupidus, victus etiam pecunia et muneribus medicamentum se daturum promittit, et adlaturus discedit. Haec interea valde lamentari, iuventutem hanc suam deplorare, adffictare se se quod immaturam esset mortem obitura, atque idemtidem Habrocomen quasi praesentem inclamare. Accedit tum, paullum moratus, Eudoxus, medicamentum haud mortiferum adferens, sed somniferum, ut et puella nihil pateretur, et ipse, viaticum nactus, salvus evaderet. Anthia, eo accepto, maximas habet grates, eumque dimittit. Hic vero statim conscensa navi devectus est, illa contra occasionem opportunam quaerebat ad medicamenti potionem.

VI. Iamque nox erat, et thalamus parabatur, quum ii quibus id demandatum fuerat, accessere ut Anthiam educerent. Quae in vita quidem et lacrymans egreditur, venenum in manu abscondens. Ac ubi prope thalamum devenit, familiares faustas nuptias precati sunt; at illa lamentabatur, plorabatque. «Sic, inquit, antehac sponso Habrocomi adducebar, comitabatur nos amatoriam fax, et nuptiale carmen in felices nuptias canebatur. Nunc autem quid ages Anthia? Erisne iniusta in Habrocomen, in maritum tui amantem, tua caussa mortuum? Non ita mollis ego sum, neque in malis ignava. Decretum est, venenum bibam, Habrocomen oportet mihi esse maritum; illum vel mortuum malo.» Haec loquuta ducitur in thalamum; et nunc ibi sola mansit, quoniam



Perilaus adhuc cum amicis epulabatur. Simulans igitur se in illo angore siti correptam esse, aliquem e famulis aquam sibi adferre iubet, tamquam si bibere vellet. Mox adlatum sumens poculum, nemine intus sibi adstante, medicamentum iniicit, et lacrymans, «o carissimi, inquit, Habrocomis anima, en! promissa tibi solvo, et viam ad te ingredior, calamitosam illam quidem, sed necessariam. Accipe me lubens, mihi que illic beatam te eum vitam praesta.» His dictis ebibit medicamentum, et continuo somnus eam complexus est, ceciditque in terram, vires, quas habebat, exercente potione.

VII. Intrans Perilaus, simul Anthiam iacentem vidit, statim adtonitus clamorem edidit; inde domesticorum magnus tumultus ac promiscua adflictio, eiulatus, timor, stupor: illis, quam mortuam putabant, lugentibus, his Perilai vicem dolentibus, cunctis autem casum moerentibus. Perilaus, lacerata sibi veste, in corpus procumbens, «o dilectissima, inquit, mihi puella, quae ante nuptias amatorem deseruisti, quae paucos dies Perilai fuisti sponsa, in quem thalamum, se pulcrum scilicet, te deducemus? Felix nimirum, quicumque demum is fuerit, Habrocomes: beatus ille re vera, qui tanta ab amante munera est consequutus.» Hunc in modum ille lamentabatur, et totam amplexus, manus ac pedes osculabatur, «infelix, exclamas, sponsa! uxor infelicio!» Dein eam exornavit, plurima veste amiciens multumque aureum ornatum circum ponens: quumque diutius adspectum non ferret, ubi dies advenit, Anthiam lecto impositam (iacebat illa sensibus vacua) abduxit in vicina urbi sepulcra, ibique in cella quadam condidit, multas pone mactavit victimas, multamque vestem atque alium ornatum cremavit. Tum ille, iustis peractis, a propinquis et familiaribus domum est deductus.

VIII. Anthia in sepulcro relicta, ubi ad se rediit, sensitque non fuisse letale medicamentum, gemens ac plorans, «o fallax, inquit, medicamen, quod me prohibuit felicem ad Habrocomen viam inire! Frustrata sum igitur (nova mihi sunt omnia) vel mortis desiderio; at licet utique in sepulcro manenti veneni opus fame perficere; nec enim me quis hinc auferet, nec solem adspiciam, nec in lucem prodibo.» His dictis obfirmato animo mortem fortiter opperiebatur. Exin sub noctem quidam latrones, qui magnifice sepultam puellam didicissent, copiosum item ornatum muliebrem cum multo auro atque argento simul fuisse repositum, ad sepulcrum accedunt, eiusque foribus effractis, intrant, ornatum auferunt, et viventem vident Anthiam; idque magno quoque in lucro esse deputantes, erigunt eam, atque abducere instituunt. Haec vero ad pedes eorum provoluta, eosque magnopere obsecrans: «viri, inquit, quicumque estis, ornatum huncce omnem quidem, quantuscumque est, cunctaque mecum sepulta vobis auferte, verum corpori parcite. Duobus consecrata sum diis, Amori et Morti: his me dare operam sinite. Per patrios vestros deos, quaeso, ne me diei ostendite, quae nocte ac tenebris dignas passa sum calamitates.» Haec illa: neque tamen (persuasit latronibus), sed sepulcro extractam ducunt ad mare, impositamque navigio, Alexandriam devehunt; in navi vero curabant eam, et bono animo esse hortabantur. Illa reputans quibus in malis versaretur, lugens moerensque: «iam, inquit, rursus latrones et mare, iterum captiva ego! Sed hoc nunc infortunatius quod sine Habrocome. Quae me tandem terra excipiet? Quos homi-

nes conspiciam? Utinam ne Moerin iterum, nec Manto, nec Perilaum, nec Ciliciam, sed eo iam perveniam, ubi vel tumultum solum Habrocomis videam.» Talia identidem conquesta, sponte quidem nec potionem nec cibum capiebat, verum adigebant latrones. Non paucis diebus cursu confecto, Alexandriam sunt delati, ibique Anthiam exposuerunt, ac statim eam quibusdam mercatoribus tradere constituerunt.

IX. Perilaus, ut effractum fuisse sepulcrum rescivit, et cadaver amissum, in magno atque intolerabili dolore fuit. Habrocomes autem anquirebat et sciscitabatur, sicubi quis de captiva peregrina puella inter latrones abducta quidpiam nosset, quumque nil comperiret, defatigatus rediit in diversorium. Coenam interea sibi Hippothoi sodales adparaverant, et ceteri quidem coenaverunt, at Habrocomes, qui prorsus animum desponderat, postquam se in lectum abiecisset, plorans iacebat nullum capiens cibum. Accesserat ad Hippothoum loci dominus, simul anus quaedam aderat, nomine Chryson, quae sic narrare occoepit. «Audite, inquit, hospites, casum qui non ita pridem in urbe incidit. Perilaus quidam, vir inter potentiores, qui paci in Cilicia custodiendae praefectus constitutus fuit, ad latrones investigandos egressus, comprehensus nonnullos una cum formosa virgine abduxerat, cui ut sibi nubere persuasit; iamque omnia ad nuptias erant adornata, quum ipsa thalamum ingressa, sive quod desiperet, sive quod alium quem adamaret, venenum alicunde nacta ebibit, et mortua est.» Talis certe mortis eius modus narrabatur. Haec audiens Hippothous, «illaec, inquit, puella est quam quaerit Habrocomes.» Et Habrocomes quidem hanc narrationem audierat, verum moerore debilitatus languescebat. Tandem tamen ad Hippothoi vocem exsiliens, «sane nunc quidem, ait, exploratum est occidisse Anthiam, eiusque sepulcrum isthic nimirum est, et corpus adservatur.» Simul his dictis vetulam Chryson rogat, ad illius sepulcrum se ducat, corpusque commonstret. Haec autem suspirans, «hoc vero, inquit, est quod miserae puellae infelicissimum fuit: etenim Perilaus et splendide sepeliverat eam, atque exornaverat; verum de rebus una conditis quum inaudissent latrones, effracto sepulcro ornatum non modo abstulerunt, sed et corpus subduxerunt: qua de re multam ac diligentissimam indagacionem Perilaus instituit.»

X. Haec intelligens Habrocomes tunicam discidit, ac vehementer deflevit Anthiam, quae praeclare quidem et caste mortem obiisset, sed infeliciter post mortem periisset: «Qui tandem latro tanto amore tenebatur, ut vel mortuam te concupiverit? ut ipsum cadaver abstulerit? Ego miser te sum orbatus, et simul unico meo solatio. Igitur mori omnino decretum est; sed prius perdurabo donec alicubi corpus tuum invenero, atque id amplexatus me una sepeliam.» Haec cum lacrymis dicentem bono animo esse Hippothous hortabatur. Dein tota nocte latrones requieverunt; at Habrocomi omnium veniebat in mentem, Anthae, mortis, sepulcri, deperditi corporis. Quare iam sese amplius non cohibens, clam omnes (iacebant quippe vino sepulti Hippothous ac socii) egreditur quasi quid sibi opus esset, atque omnes deserens, ad mare pergit. Incidit forte in navem Alexandriam petentem, eaque conscensa provehitur, sperans se latrones, qui cuncta diripuerant, in Aegyeto deprehensurum: eo tamen infelix eum spes ducebat.

Dum ille Alexandriam versus navigat, Hippothous sociique, postea quam illuxit, ablatum sibi esse Habrocomen indoluerunt, et paucos dies curantes sese, constituerunt in Syriam et Phoeniciam ad praedandum proficisci.

XI. Tradiderant latrones Anthiam Alexandriae mercatoribus, magna accepta pecunia. Qui eam abunde aluerunt, et corpus curarunt, requirentes usque qui iusto pretio emeret. Advenerat forte Alexandriam ab India, urbem visendi et mercaturae faciendae causa, quidam e regibus illius regionis, Psammis nomine. Viderat iste Psammis Anthiam apud mercatores, utque vidit, captus est, datoque mercatoribus multo argento, eam sibi ancillam adsumsit. Cui vix emptae barbarus homo continuo vim inferre parat, quo ea abuteretur. Principio illa abnuere atque adversari, ad extremum Psammidi caussatur (superstitiosi natura sunt barbari) se a patre, quum nasceretur, Isidi fuisse dicatam quoad nuptiis matura foret, aiebatque ad id tempus annum adhuc esse praestitutum. Quod si, inquit, deae sacram violaveris, irascetur illa nimirum, eritque poena gravis. Fidem habet Psammis, deamque adorans, Anthia abstinet. Itaque illa iam apud Psammidem custodiebatur, quandoquidem Isidi sacra esse putabatur.

XII. Interea navis ea qua ferebatur Habrocomes a recto cursu versus Alexandriam aberrat, inciditque in ostia Nili, atque in id quod Paraetonium vocatur, et Phoenices oram maritimam. Eiectos hosce invadunt ex iis locis pastores, qui et sarcinas diripiunt, et hominibus vincula iniiciunt, tum longo per deserta itinere Pelusium Aegypti urbem ducunt, ibique alium alii tendunt. Emit Habrocomen senex miles: erat is emeritus, et Araxus vocabatur. Habebat Araxus iste uxorem foedam adspectu, fama longe peiorem, quae omnigenam excesserat intemperantiam, nomine Cyno. Haec Habrocomen simul ac domum est deductus amare coepit, nec iam sese diutius continuit, in amore quoque suscipiendo vehemens, et libidinem explere cupiebat. Araxus Habrocomen diligebat, et sibi adoptaverat: Cyno verbis eum ad concubitum sollicitabat, utque morem gereret rogabat, maritum sibi adsciscere pollicita, et Araxum interficere. Dirum istud quidem Habrocomi videbatur, multaque simul secum reputabat, Anthiam, iusiurandum, temperantiam, quae sibi iam toties nocuisset. Tandem vero urgenti Cyno adsentitur: itaque illa sub noctem, ut maritum haberet Habrocomen, Araxum occidit, et factum narrat Habrocomi. Qui vero mulieris improbam hanc lasciviam non ferens, domo excessit, eamque reliquit, negans se umquam cum muliere nefaria caede polluta cubiturum. Illa, quum se collegisset, simul atque illuxit, in Pelusiotarum concionem prodiens, virum luget, narrat a servo recens empto eum esse interfectum, et maiorem in modum plangens, visa est multitudini credibilia dicere. Igitur comprehendunt illico Habrocomen, vinctumque mittunt ad eum qui tunc Aegypto praeerat. Sic ille Alexandriam abducitur, poenas daturus, quod herum Araxum interfecisse putaretur.

## LIBER IV.

I. Hippothous cum suis Tarso iter Syriam versus agentes, siquid in via offenderent, id omne sibi subiiciebant: villas quoque incenderant, multosque homines trucidarunt; atque ita progressi, Laodiceam Syriae perveniunt, ibique non iam ut latrones, sed tamquam qui urbis visendae causa advenissent, commorati sunt. Hippotous isthice sollicite perquirebat sicubi Habrocomen posset invenire; verum posteaquam nihil profecit, seque latrones recrearunt, iter in Phoenicem convertunt, atque inde in Aegyptum; hanc enim incursare statuerant. Igitur, magna collecta latronum manu, Pelusium petunt, tum Nilo flumine versus Hermopolim Aegypti et Schediam navigantes, atque alveum a Menelao ductum ingressi, Alexandriam quidem praeterierunt, Memphim vero Isidi sacram, indeque Menden devenerunt; adsumserunt vero etiam ex incolis socios latrocinii ac viae duces. Postea quam Taua pertransiissent, Leontopolim veniunt, aliosque pagos non paucos praetergressi, quorum plerique obscuri, Coptum, in vicinia Aethiopiae, pervenerunt. Isthice latrocinari decreverunt, magna etenim transeuntium mercatorum multitudo erat, qui sive Aethiopiam sive Indiam commeare solerent. Latronum haec manus quingentis constabat viris: itaque Aethiopiae iugis occupatis, et speluncis ibi dispositis, viatores expilare constituerunt.

II. Ut Habrocomes ad Aegypti praefectum venit, (quem Pelusiotae de eo quod acciderat, Araxi videlicet nece, et quod servus talia esset ausus, literis certiore fecerant) iste singulis intellectis, neque de facto quidquam ultra sciscitatus, abductum Habrocomen cruci iubet suffigi. Ille vero in tanta calamitate obstupefactus erat, attamen hoc moriturum solabatur, quod et Anthiam interiisse putabat. Igitur abducunt eum, quibus id mandatum fuerat, ad Nili ripas, (praerupta ibi rupes erat in fluminis cursum prospiciens) et crucem erigunt, eique adfigunt, restibus manus ac pedes constringentes: namque hoc modo in cruce suffigere illi genti mos est. Abscesserunt deinde, relinquentes quem suspenderant, utpote qui in tuto esset collocatus. Ille vero solem et Nili fluentia respiciens, «o deorum, inquit, humano generi amicissime, qui Aegyptum tutaris, per quem et terra et mare cunctis hominibus adparent, si quid Habrocomes egit iniuste, misere dispeream, suppliciumque hoc gravius, si quod est, subeam; verum si quidem me scelestam mulier prodidit, ne Nili flumen polluat corpore iniuria necato, neque tu spectaculum huiusmodi intueare, hominem videlicet, qui nihil deliquit, in tua hac terra pereuntem.» Precantis miseretur deus, atque repente venti turbo exoritur, inque crucem irruit, ac terreum disiiicit rupis solum, in quo defixa crux fuerat. Itaque in profluentem decidit Habrocomes, deferturque nec aqua ei officiente, neque vinculis eum impredientibus, neque bestiis laedentibus, sed deducuntibus ac ferentibus undis recipitur in ostiis Nili in mare influentis. Ibi eum custodes comprehendunt, et tamquam qui supplicium effugisset, ducunt ad Aegypti praefectum. Qui vero magis etiam irritatus, ac penitus improbum esse iudicans, rogum extrui iubet, imponique et comburi Habrocomen. Iamque parata erant cuncta, rogus iuxta Nili ostia exstructus, impositus ei Habrocomes, ignisque subiectus. Iam etiam flammae prope aberant ut corpus adtin-

gerent, quum ille rursus paucis quantum licebat, ab instantibus malis ut servaretur precari coepit. Hic vero intumescit Nilus, et fluctus rogo incidunt, atque flammam exstinguunt. Miraculo istud fuit adstantibus, qui prehensum Habrocomen adducunt ad Aegypti praefectum, quae acciderant narrant, et Nili auxilium explicant. Haec audiens, factum admiratur, et iubet eum custodiri quidem in carcere, sed curare quam diligentissime, «donec, inquit, qui sit iste homo cognoscamus, et cur dii tam sint de eo solliciti.»

III. Dum ille in carcere est, Psammis, qui Anthiam emerat, redire domum statuit, omniaque ad profectionem parabantur. Oportebat autem superiorem Aegyptum peragrans, Aethiopiam quoque adire, ubi Hippothoi agmen praedonum constitutum erat. Cunctorum praeclarus erat apparatus: multi cameli, asini, equi, sarcinas baiulantes; magna vis erat auri atque argenti; copiosa vestis: simul et Anthiam deducebat Psammis. Haec ut, Alexandriam praetergressa, Memphim advenit, ante Isidis templum subsistens precatur: «o dearum maxima! Casta adhuc saltem maneo, quod tua habeor, et inviolatum Habrocomi matrimonium servo. Hinc iam ad Indos abeo, procul quidem ab Ephesia terra, procul etiam ab Habrocomis reliquiis. Vel igitur me miseram posthac tutam praesta, vivoque restitue Habrocomi; vel si omnino fatale est nos seorsum mortem appetere, hoc effice, ut me mortuo pudicam servem.» Sic illa orabat: interim conficiebant iter, iamque Coptum praetergressi Aethiopum fines ingrediebantur, quum eos invadit Hippothous, et cum ipsum Psammidem, tum multos qui cum eo erant interficit, res omnes et Anthiam capit, quaeque adprehenderat collecta in speluncam defert ad recondendam praedam latronibus paratam. Anthia illuc quoque ingressa nec Hippothoum agnovit, nec ipsam Hippothous. Cui deinde ex ea percunctanti quaenam atque undenam esset, vera non narrat, sed indigenam se Aegyptiam esse ait, nomine Memphitin.

IV. Dum illa apud Hippothoum est in latronum antro, interea praefectus Aegypti Habrocomen arcessit, quae ad ipsum pertinebant exquirat, facti narrationem audit, et adversam eius fortunam miseratur, dat ei pecuniam, et pollicetur se curaturum, ut Ephesum perducatur. Ille vero maximas quidem ei gratias agit de salute sua, sed rogat, ut sibi Anthiam perquirere concedat. Itaque multis acceptis muneribus, conscenso navigio, Italiam devehitur, percunctaturus illic siquid de Anthia posset intelligere. Edoctus iam de iis quae Araxo acciderant Aegypti praefectus, arcessitam Cyno in crucem sustulit.

V. In spelunca commorantem Anthiam unus e praedonibus, qui ipsam custodiebant, amare coepit, Anchialus nomine. Erat iste Anchialus ex iis, qui e Syria se Hippothoo socios adiunxerant, genere Laodicensis, et apud Hippothoum in honore habebatur, utpote animosus, et in agitandis latrociniiis valde exercitatus. Hic igitur Anthiam adamans, principio verbis eam sollicitabat ut flecteret, dictitans se illam sibi matrimonio iniuncturum, et dono ab Hippothoo petiturum. At illa prorsus recusabat, neque eam quidquam flectebat, non antrum, non vincula, non latro minax, sed Habrocomi se etiam

nunc servabat, quamvis mortuum putaret; saepiusque, siquando clam posset, exclamabat: «unius Habrocomis oportet me uxorem manere, etiamsi mori sit necesse, etiamsi graviora his quae perpessa sum pati.» Haec Anchialum in maius infortunium inducere: quum enim quotidianus Anthiae adspectus eum amore incenderet, et perdurare amplius nequiret, vim Anthiae inferre moliebatur. Quocirca nocte quadam, dum non adest Hippothous, sed cum ceteris latrocinia agit, consurgit, vitiumque puellae offerre conatur. Illa in desperatis malis constituta, nudato qui prope iacebat gladio, Anchialum ferit, fuitque mortiferum vulnus. Dum enim totus super eam se inclinat, et complecti vult atque osculari, illa, gladium subiiciens, pectus transegit. Et Anchialus quidem sat graves pravae cupiditatis poenas dedit; Anthia vero ob facinus in formidinem venerat, et multum meditabatur, nunc quidem mortem sibi consciscere; sed de Habrocome non nihil etiamnum sperabat; nunc vero ex antro aufugere; at hoc fieri non poterat, neque enim via illi expedita, neque dux erat itineris. Igitur in antro manere statuit, ac perferre quidquid fortunae placuisset. Sic noctem illam insomnem egit, multa volvens animo.

VI. Ut illuxit, Hippothous et socii redeuntes conspicantur Anchialum occisum, et Anthiam iuxta cadaver. Quod factum fuerat suspicuntur, atque illam interrogantes, omnia intelligunt. Iam vero facinus hoc animadversione esse dignum censes, et ulciscendam amici mortem, varia in Anthiam consulere. Hic quidem interficiendam esse suadet, et cum Anchiali cadavere sepeliendam, alius in crucem agendam; Hippothous vero, quippe qui de Anchialo doleret, maius in Anthiam supplicium constituit. Iubet igitur latam profundamque fossam cavari, Anthiam iniici, et duo cum ea canes, ut ita gravem poenam eorum quae ausa esset subiret. Illi mandata exsequuntur, et Anthia ad fossam adducitur simulque canes: erant autem Aegyptii, magni ceteroquin, et adspectu terribiles. Posteaquam iniecti essent, ingentia imponunt ligna, aggesta terra fossam operiunt, (parum ea distabat a Nilo) et custodem unum e latronibus Amphinomum adponunt. Amphinomus iste, qui iam pridem Anthiae amore esset captus, tumc magis eius misericordia commovebatur, dolebatque infelicem casum: cogitabat adeo quo pacto efficeret, ut diutius illa viveret, neque eam canes molestarent. Itaque frequenter de lignis fossae superimpositis quaedam removens, panem iniiciebat, et aquam subministrabat, tumque Anthiam bono animo esse hortabatur. Canes pasti nullo iam malo eam adficiabant, sed cicures et mansueti sunt facti. Anthia vero in sese intuens, et praesentem fortunam considerans, «vae, inquit, miserae mihi! Quale supplicium subeo! Fossa, et carcer, et canes conclusi, longe praedonibus mitiores! Paria tecum, Habrocome, perpetior; nam et tu in simili aliquando adversa fortuna versatus es, et te in vinculis Tyri reliqui. At si quidem vivis adhuc, nihil est mali, tenebimus enim, opinor, nos aliquando; quod si vero mortem iam obiisti, frustra ego vivere laboro, et frustra ille, quicumque tandem est, infelicis miseretur mei.» His dictis sine intermissione lamentabatur. Ac in fossa quidem inclusa manebat cum canibus, Amphinomus vero et frequenter consolabatur eam, et canes alendo mansuefaciebat.

## LIBER V.

I. Habrocomes ab Aegypto navigans, in ipsam quidem Italiam non pervenit, etenim ventus navim reiiciens, a recto cursu avertit, egitque in Siciliam: itaque ad Syracusas, pulcram amplamque urbem, adpulerunt. Huc quum advenisset Habrocomes, statuit insulam pervagari, ac praeterea inquirere si quid de Anthia intelligere posset, et protinus iuxta mare apud Aegialeum quemdam senem, arte piscatorem, deversatur. Aegialeus iste pauper et peregrinus erat, atque se ex artis suae quaestu aegre alebat. Is vero libens excepit Habrocomen, et filii loco habens, eximie diligebat. Multa inter eos intercedente consuetudine, tandem aliquando Habrocomes narravit ei quae ad se pertinebant, Anthiam videlicet, eiusque amorem, erroresque suos; tum et Aegialeus narrationem suam incipit. «Ego, inquit, filii Habrocome, nec Siciliensis nec indigena sum, sed Spartanus Lacedaemonius, ex potentioribus illic civibus, et qui opibus abundabant. Iuvenis quum essem, epheborum ordini adscriptus, amare coepi virginem civem, cui Thelxinoë nomen, atque illa me redamabat. Quum in urbe pervigilium ageretur, inter nos, deo ambos ducente, convenimus, et iis, quorum gratia congressi fueramus, frui sumus. Per aliquod tempus clam consuescere licuit, ac saepe iureiurando polliciti sumus nos invicem ad mortem usque non deserturos. At invidit nimirum deus aliquis: adhuc enim inter ephebos numerabar, quum Thelxinoën parentes desponderunt Androclei cuidam indidem adolescenti, qui iam et ipse eam adamabat. Iam puella primum quidem plures caussas praetexebat, ut nuptias proferret; ad extremum vero, quum ei licuisset in eundem mecum locum convenire, paciscitur noctu Lacedaemone mecum egredi. Itaque ergo adolescentulorum more induimur, comam vero Thelxinoës etiam ipsa nuptiarum nocte abscidi. Urbe egressi, Argos et Corinthum profecti sumus, atque inde solventes, in Siciliam navigavimus. Lacedaemonii, fuga nostra cognita, capitis nos condemnarunt. Iam isthic in penuria quidem rerum necessariarum vitam degebamus, sed hilares tamen, videbamurque nobis commodis omnibus frui, quod una eramus. Non ita pridem mortua haec est Thelxinoë, corpus autem humatum non fuit, sed mecum scilicet habeo, semperque amo, eiusque utor consuetudine. Simul his dictis Habrocomen in interius conclave adducit, eique Thelxinoën ostendit, iam vetulam quidem mulierem, at formosam etiamnum Aegialeo puellam visam. Corpus eius conditum erat more Aegypcio, cuius quoque peritus erat senex ille. «Iam cum ista, inquit, filii Habrocome, perpetuo, perinde ac si viveret, loquor, una et cubo et epulor; et si quando a piscatu defatigatus revertor, huius me adspectus solatur; haud enim qualis nunc tibi conspicitur, talis et mihi adparet, verum recogito, filii, qualis Lacedaemone erat, qualis in fuga: pervigilia denique animo meditor.» Aegialeo adhuc loquente lamentabatur Habrocomes: «te vero, inquit, puellam omnium infelicissimam, quando vel mortuam inveniam? Nam Aegialeo quidem magnum vitae solatium est corpus Thelxinoes, ac sane nunc didici, verum amorem aetate non terminari; at ego terras omnes et maria pervagor, neque inaudire de te quidquam potui. O vaticinia infelicia! O Apollo, qui nobis quam tristissima vaticinatus es, miserere tandem, et praedictorum extrema

perficie!» Inter huiuscemodi querimonias Habrocomes, consolante eum Aegialeo, vitam Syracusis degebat, iamque etiam in arte se socium Aegialeo adiunxerat.

II. Hippothous iam magnam praedonum manum comparaverat, atque Aethiopia discedere, maioresque nunc res adgredi statuerat; neque enim sufficere ei videbatur si viri-  
tim praedaretur, nisi et pagos atque oppida invaderet. Igitur adsumtis sociis, cunctisque rebus suis in iumenta, quae multa habebat, et camelos non paucos impositis, Aethiopiam reliquit, et Aegyptum atque Alexandriam est profectus, rursumque Phoenicem et Syriam adire meditabatur; Anthiam autem iam esse mortuam putabat. Amphinomus vero, is qui ad fossam custos ei fuerat adpositus, eamque adamabat, quum se a virgine divelli, simul propter illius amorem, simul propter perniciem, quae ei instabat, non sustineret, Hippothoum non est sequutus, sed inter tot alios fefellit, occultans se in antro quodam, quo sibi cibaria collegerat. Dum Hippothous nocte ad pagum Aegypti, quem Ariurn vocant, accedit, diripere eum instituens, interea Amphinomus fossam aperit, et Anthiam educit, atque bono animo esse hortatur. Quae quum etiamnum timeret et suspicaretur, ille per solem perque deos Aegyptios iurat, castam se illam, et a nuptiis puram servaturum donec ipsa aliquando persuasa, adnue-  
re velit. Iuriiurando Amphinomi fidem tribuit Anthia, eumque sequitur; neque vero canes eam reliquerunt, sed, familiares facti, diligebant. Vbi Coptum ventum est, aliquot ibi dies commorari statuerunt donec Hippothous in via processisset: canes autem, ut cibaria haberent, curarunt. Hippothous cum suis pagum Arium invadentes, multos incolarum interfecere, domusque incenderunt; nec eadem via, sed secundo Nilo vecti descenderunt: itaque conscensis omnibus, quae ex interiacentibus pagis collegerant navigiis, Schediam navigaverunt, atque ... hinc, postquam ad Nili ripas exscenderunt, reliquam permearunt Aegyptum.

III. Interim praefectus Aegypti de iis, quae ad Arium acciderant, deque Hippothoi praedonum agmine, quod ex Aethiopia advenire narrabatur, edoctus fuit. Quare comparatis multis militibus, iisque duces Polyidum quemdam e cognatis suis praeficiens, iuvenem adspectu formosum, et ad res agendas strenuum, eum adversum latrones misit. Qui cum agmine suo prope Pelusium occurrit Hippothoo, ac protinus ad ripas fit pugna, multique utrimque cecidere. Tandem, interveniente nocte, converterunt se latrones, cunctique a militibus caesi sunt, praeter paucos qui vivi sunt capti. Solus Hippothous, proiectis armis, fugae se mandavit, et noctu Alexandriam pervenit, atque illinc, quum latere ei licuisset, incensa navi, quae solvere parabat, in altum est pro-  
fectus. Siciliam vero cum maxime adpetebat, quod ibi praecipue et occultare sese et ali posse arbitraretur; audierat enim amplam esse insulam et omnibus copiis florentem.

IV. Polyidus autem non satis esse duxit superasse latrones illos, qui secum congressi fuerant, sed expurgandam esse Aegyptum censuit, ac pervestigandum si uspiam vel Hippothoum, vel e sociis suis aliquem posset deprehendere. Igitur cum parte copiarum et captivis latronibus, ut si quis praedo in conspectum se daret, sibi indicarent, adver-  
so Nilo navigat, in oppidis perscrutatur, ac Aethiopiam usque progredi cogitabat. Iam



etiam Coptum pervenerant, ubi Anthia cum Amphinomo erat. Illa quidem domi morabatur, Amphinomum vero agnovere captivi latrones, et Polyido renuntiant; itaque capitur Amphinomus, et inquisitione habita, omnia de Anthia narrat. Quibus auditis, hanc itidem adduci iubet, et accedentem interrogat quaenam atque unde esset. Illa nil veri eloquitur, sed Aegyptiam se esse ait, et a praedonibus captam. Inter haec Polyidus quoque vehementi amore amare coepit Anthiam, erat autem ei uxor Alexandriae, ac principio quidem, amatoris ritu, perducere conabatur magna pollicitus; at postremo, ubi, Alexandriam descendentes, Memphim pervenerunt, Polyidus vim Anthiae inferre adgressus est. Haec vero effugiendi facultatem nacta, Isidis templum ingreditur, ibique supplex facta, «tu me, inquit, cui saepius opitulata es, Aegypti domina, rursum salvam praesta: et sibi etiam Polyidus temperet a me, quae tuo auxilio me adhuc castam Habrocomi servavi.» Polyidus, qui simul deam metueret, simul Anthiam amaret, misericordia ex adversa eius fortuna commotus, templum solus adit, iuratque se numquam Anthiae vim aut iniuriam facturum, sed castam, quamdiu ipsa voluerit, servaturum; sat enim amanti esse videbatur, si et spectaret solum et colloqueretur. Iuriiurando fidem habens Anthia, e templo descendit, quumque statuissent triduum se Memphi recreare, Anthia in Apidis templum introit. Nobilissimum hoc est in Aegypto, et deus cuilibet vaticinatur; nam ut quis accedens oravit, atque a deo responsum petiit, ipse quidem egreditur, Aegyptii vero templum dei circumstantes, sive soluta oratione, sive versibus, futura quaeque praedicunt. Igitur et Anthia, quum eo accessisset, ad Apidis genua procumbit: et, «o deorum, inquit, humano generi amicissime, atque erga hospites omnes misericors, mei quoque infelicissimae miserere, certumque mihi de Habrocome responsum redde: nam si quidem illum posthac visura sum, et maritum habitura, exspectabo, vivamque; verum si ille occubuit, me pariter praestat aerumnosa hac vita liberari.» His dictis lacrymans templo exit. Tum vero pueri ante fanum ludentes simul exclamavere: «Anthia propediem Habrocomen virum suum recipiet.» Quibus auditis alacrior facta, diis preces adhibet, et continuo Alexandriam profecti sunt.

V. Audierat Polyidi coniux puellam ab eo adamatam esse adductam, et metuens ne extranea illa se gratia superaret, Polyido quidem nihil dicit, at secum ipsa deliberabat quonam modo hanc ulcisceretur, quae nuptiis videretur insidiari. Iam vero Polyidus praefecto Aegypti, et quae acta essent renuntiatum iverat, et reliqua imperii sibi demandati negotia apud exercitum administrabat. Itaque eo absente, Rhenaeta (hoc videlicet erat Polyidi uxori nomen) Anthiam, quae domi erat, arcessit, vestemque illi discindit, et corpus male mulcat. «O scelestas, inquit, meisque insidians nuptiis, frustra visa es Polyido pulchra, neque enim tibi quidquam forma ista proderit. Potuisti quidem certe latrones illicere, et cum multis cubare ebriis adolescentibus; verum Rhen-aeae thalamum non temerabis umquam impune.» Haec quum dixisset, comam ei totondit, et vincula iniecit, ac servo cuidam fideli, cui Clyto nomen, tradens imperat, impositam navi Anthiam in Italiam transvehere, et lenoni venumdare. «Hoc enim pacto, ait, o bellula, poteris intemperantiam explere.» Abducta igitur a Clyto Anthia plorabat et lamentaba-

tur. «O pulcritudo, inquit, insidiosa! o infelix forma! cur mihi molestae esse perseveratis? cur mihi tot malorum caussa estis? Non satis erant sepulcra, caedes, vincula, latrones; at nunc etiam ad cellam prostituatur, et, quam adhuc Habrocomi pudicitiam servavi, leno me coget imminuere? Sed, o domine,» ad Clyti genua se proiiciens, ait, «noli me ad illud supplicium simul protrudere, verum ipse me occidito: lenonem herum non feram: ad pudicitiam, mihi crede, colendam fuimus institutae.» Sic illa dum precatur, misertus eius est Clytus. Interim haec in Italiam abducitur; Rhenaea vero reduci Polyido narrat Anthiam aufugisse: cui ille, ob ea quae iam acciderant, fidem adhibuit. Posteaquam Anthia Tarentum, Italiae urbem, delata est, ibi Clytus, Rhenaeae mandata reveritus, eam lenoni vendit. Qui tali forma conspecta, qualis sibi numquam ante visa esset, magno puellam lucro sibi futuram iudicavit, eamque a navigatione et Rhenaeae cruciamentis debilitatam per aliquot dies recreavit. Clytus, ut Alexandriam rediit, de iis, quae acta fuerant, Rhenaeam fecit certiore.

VI. Interea Hippothous, cursu confecto, ad Siciliam adpulerat, non tamen Syracusas sed Tauromenium, quaerebatque opportunam occasionem ad victum sibi parandum. Habrocomen autem Syracusis, longiore procedente tempore, ingens moeror atque anxietas incessit, quod neque Anthiam reperire, neque in patriam salvus posset redire. Quare Sicilia solvere, et in Italiam adscendere statuit, indeque, si nihil eorum, quae quaerebat, invenire contingeret, tristem cursum Ephesum dirigere. Diu iam parentes eorum nec non Ephesii cuncti in magna erant aegritudine, quia nec nuntium ab iis nec literas acceperant, et quoquoersus investigatores dimiserant. Quum autem aegritudine et senio pressi utriusque parentes resistere nequirent, sese vita exegerunt. Dum Habrocomes in Italiam iter facit, Leucon et Rhoda, Habrocomis et Anthiae collectanei, postquam Xanthi mortuus illis esset herus, eosque heredes (ampla erat hereditas) reliquisset, Ephesum revertere decreverunt, utpote qui, iam salvis reducibus heris, satis aerumnarum in peregrinatione essent experti. Itaque rebus suis omnibus navi impositis, Ephesum petentes solvunt, et dierum non multorum navigatione Rhodum advenere. Ibi quum essent edocti, Anthiam et Habrocomen neutiquam salvos rediisse, parentes autem eorum emortuos esse, constituerunt Ephesum non adire, sed illic aliquantum commorari quoad de heris aliquid intellexissent.

VII. Leno ille, qui Anthiam emerat, post aliquod tempus eam prostare coëgit, et iam pulcra veste multoque auro exornatam abducebat, ut in pergula prostaret. Cum vero illa graviter eiulans, «vae, inquit, miserae mihi non sufficiebant scilicet superiores calamitates, vincula, latrones, nisi et corpore quaestum facere cogerer! O pulcritudo, quae merito contumeliam pateris! nam cur nobis intempestive adhaeres? Sed quid ego haec lamentor, neque dolum aliquem reperio, quo usque adhuc servatam pudicitiam custodiam?» Haec dicens ducebatur ad lenonis pergulam, qui tum bono eam esse animo hortabatur, tum minas adiciebat. Ut eo advenit et prostitit, multitudo confluit formam admirantium, et complures quidem parati erant pretium libidinis exsolvere. At illa in summas angustias adducta, fallaciam invenit, ut effugium adsequeretur. Iam igitur in

terram concidit, et, fracto corpore, comitiali morbo correptos imitatur. Praesentes autem misericordia simul et formido incessit, et a concubitus libidine sibi temperantes, Anthiae subveniebant. Leno, intelligens quo in damno versaretur, et puellam re vera aegrotare putans, domum reduxit, et lectulo compositam curare coepit. Ubi visa est ad se rediisse, ex ea morbi causam percunctatur: cui Anthia, «iam prius, inquit, here, hanc meam calamitatem tibi narrare, quaeque mihi acciderunt exponere volebam, sed verecundans occultavi; at nunc, quandoquidem omnia nostra iam cognovisti, eloqui grave non est. Parvula etiamdum puella eram, quum in die festo et pervigilio a meis divisa errans, ad tumulum perveni hominis recens mortui. Ibi adparuit mihi quidam exsiliens e tumulo, etprehendere conabatur; ego vero aufugere et clamitare: erat ille homo adspectu terribilis, habebatque vocem multo atrociores tandem illucescente iam die, relinquens me simul mihi pectus feriit, aiens se mihi hunc morbum incussisse. Ab eo inde tempore aliter atque aliter eo malo corripior. Iam obsecro te, here, ne mihi succenseas, quando quidem ego huius mali culpam non sustineo; poteris autem me vendere, nec quidquam de pretio dato amittere.» Leno haec audiens moleste quidem ferebat, at puellae tamen ignoscebat, utpote quae talia ingratiis pateretur.

VIII. Dum illa velut aegrotans apud lenonem curatur, Habrocomes e Sicilia provectus, Nuceriam Italiae delatus est; sed ob victus difficultatem quid ageret inops consilii, primo quidem circumire, de Anthia inquirere, haec enim illi et vitae universae et vagandi causa erat; verum quum nihil investigaret, nam puella Tarenti erat apud lenonem, operam suam locavit lapicidis. Molestum ei accidit hoc opus, utpote qui nec corpus nec sese ipsum subducere gravibus asperisque laboribus adsuefecisset. Itaque male se habebat, et crebro fortunam suam deplorans, «en! Anthia, exclamabat, tuus Habrocomes, laboriosae artis operarius, qui corpus servitio subieci. Quod si spem saltem quamdam haberem te inveniendi, atque in reliquum tecum aetatem agendi, hoc me omnium maxime consolaretur; at nunc sane infelix ego incassum atque inutiliter defatigor, et tu Habrocomis fortasse desiderio confecta vitam posuistii nam persuasum habeo, dilectissima, te mei nec in ipsa morte fuisse oblitam.» Sic ille conquerebatur, et graviter labores ferebat. Anthiae vero Tarenti per quietem somnium oblatum est. Videbatur sibi esse cum Habrocome, formosa cum formoso, primo illo tempore, quo se amare coeperant; tum aliam pulcrum feminam se in conspectum dedisse, quae Habrocomen ab ipsa abstraheret; ac denique illo clamante et nomine se vocante, commotam fuisse, et somnium cessasse. Haec ut visa est sibi videre, extemplo exsiluit, et lamentari coepit, vera esse iudicans quae vidisset. «Heu! me miseram, inquit, quae labores quidem omnes perfero, quae varias, infelix, calamitates experior, et dolos, ut me pudicam Habrocomi servem, supra feminarum ingenium comminiscor; at tibi scilicet alia uspiam formosa visa est; hoc enim mihi significant insomnia. Quid est igitur cur amplius vivam? Cur me adfflictem? Perire sane praestat, simul ex aerumnosa hac vita discedere, et turpi hacce periculosaque servitute liberari. Quod si etiam Habrocomes iusiurandum neglexit, ne illum dii ulciscantur: ex necessitate nimirum aliquid est com-

missum; me vero castam mori aequum est.» Haec illa cum lacrymis questa, mortem moliebatur.

IX. Hippothous Perinthius principio aegre Tauromenii vitam debebat ob victus difficultatem: procedente vero tempore anus quaedam eum amare coepit, quam ille, necessitate, ex inopia, coactus uxorem duxit; ac posteaquam aliquantis per cum ea convixisset, mortua illa, magnas divitias cum omnium rerum copia hereditate est adeptus. Servorum magnus aderat comitatus, multa vestis in promptu erat, et magnifica supellex. Iam ergo in Italiam navigare statuit, ac servos et ancillas forma praestantes coëmere, alium item adparatum, qualem habere viro opulenti datur. Semper vero in memoria habebat Habrocomen, et magni existimabat, si posset eum participem facere opum et facultatum suarum. Ac ille quidem in altum est provectus, atque in Italiam delatus. Sequebatur eum nobili genere in Sicilia natus adolescens, cui Clistheni nomen, qui omnium Hippothoi bonorum particeps habebatur, formosus enim erat. Ubi Anthia iam visa est convaluisse, leno quo pacto eam venumdaret cogitare coepit. Itaque iam in forum eam produxit, atque emptoribus ostendit. Sub idem tempus Hippothous Tarentum perambulabat, quaerens si pulcrum quidpiam, quod emeret, inveniret. Is simul ut Arthiam conspexit, simul agnovit, eoque casu perterritus multa secum ratiocinabatur. Nonne haec eadem est puella quam ego quondam in Aegypto, Anchiali necem ulciscens, in fossam defodi et cum canibus includi iussi? Quae haec est conversio? Quo modo servari potuit? Quale e fossa effugium dari? Unde haec inopinata salus? Haec loquutus accessit ut emeret; quumque ei adstisset, «nostine, inquit, puella, Aegyptum? Nonne in Aegypto in latrones incidisti? Nonne aliud quidpiam grave in ea terra passa es? Dic sodes, nam agnosco te, quippe qui te illic viderim.» Illa ubi de Aegypto audiit, et recordata est Anchiali, latronum, et fossae, suspirare et ingemiscere; dein oculos in Hippothoum convertens, (quem tamen nequaquam agnovit) «multa, inquit, hospes, quicumque tandem es, et gravia in Aegypto perpressa sum, et in latrones incidi. Sed tu, dicito, quomodo tibi innotuerint casus mei, et undenam nosse ais me miseram? Equidem famosa certe, et probrosa sum passa, sed te prorsus non novi.» Haec audiens Hippothaus, eam et hisce dictis tanto magis agnovit, ac tum quidem tacuit, atque a lenone emptam in domum suam duxit, et bono animo esse hortatus est, dein quis ipse sit, quaeque in Aegypto accidissent enarrat, opes item suas ac fugam memorat. Illa sibi ignoscat rogat, utque intemperantem Anchialum occiderit, simul et de fossa, de Amphinomo, de canum mansuetudine, et quomodo servata sit exponit. Misertus est eius Hippothous, neque dum quaenam sit interrogavit. Iam vero, ex quotidiano cum puella convictu, etiam Hippothoum Anthiae cupido cepit, et consuescere volebat, multa pollicitus. Abnuere illa primum, et se herili lecto indignam esse dictitare; ad extremum vero quum instaret Hippothous, quid ageret nescia, et satius esse rata omnia ei arcana eloqui, quam datam Habrocomi fidem violare, narravit Habrocomen, Ephesum, amorem, iusiurandum, calamitates, latrones, et Habrocomen idemtidem deflebat. Hippothous, ut intellexit hanc esse Anthiam, omnium videlicet sibi amicissi-

mi uxorem, amplexatur eam, alacri esse animo iubet, suamque cum Habrocome amicitiam memorat. Itaque domi eam habuit, atque omnibus officiis, Habrocomen reveritus, prosequabatur; ipse vero, usquequaque investigabat sicubi Habrocomen invenire liceret.

X. Habrocomes principio laboriose Nuceriae opus faciebat; tandem autem, quod laborem ferre amplius nequiret, statuit conscensa navi Ephesum petere. Quocirca noctu ad mare descendit, et navim nactus, quae solvere parabat, eam inscendit, ac rursus in Siciliam navigavit, ut inde Cretam, Cyprum, et Rhodum adiret, et hinc denique Ephesum perveniret. Sperabat porro se inter longam navigationem de Anthia aliquid intellecturum. Igitur exiguo viatico instructus in altum provehitur et prima navigatione absoluta, in Siciliam venit, ubi, quum veterem hospitem Aegialeum mortuum invenisset, ei inferias adtulit, eumque valde deflevit; dein iterum solvit, et postquam Cretam praetervectus esset, Cyprum advenit: ubi dies aliquot commoratus est, et patriae Cypriorum deae preces adhibuit: inde devectus, Rhodum pervenit, ac prope portum devertit. Iam vero, quum in vicinia Ephesi esset, subiit animum cogitatio rerum omnium tristium, patriae, parentum, Anthiae, familiarium; et ingemiscens, «heu, inquit, calamitates! solus Ephesum revertar, in parentum meorum conspectum veniam sine Anthia, et, miser, inutili confecto cursu, casus meos narrabo, incredibiles fortasse, quippe qui socio eorum quae passus sum, caream. Sed perdura, Habrocome, ac ubi Ephesum adveneris, tantillum modo supervive, Anthiae tumulum excita, illam defle, eique inferias adfer, tum temet ad ipsam adige.» His dictis urbem inquieto animo pervagatur, Anthia orbatus, et victu egens. Per idem tempus Leucon et Rhoda, qui Rhodi morabantur, in templo Solis iuxta auream gravem armaturam ab Anthia et Habrocome dedicatam, columnam literis aureis inscriptam posuerant pro Habrocome et Anthia: adscripta erant etiam dedicantium nomina Leucon scilicet et Rhoda. In hunc titulum incidit Habrocomes, venerat enim uti deo supplicaret. Quem ubi legit, atque eorum qui dedicaverant nomina, servorumque benevolentiam cognovit, iuxta et iam armaturam conspexit, columnae adsidens valde lamentari coepit. «O prorsus inquit, infelix ego! ad vitae metam, atque in recordationem calamitatum mearum perveni. Hanc, ecce, armaturam ego simul cum Anthia dedicavi, et cum ea Rhodo profectus, nunc redeo illam non adducens. Quoniam vero haec columna collectaneorum nostrorum donarium est pro salute utriusque nostrum, quid igitur me solo fiet? Ubi vero dilectissimos meos inveniam?» Dum ille sic non sine lacrymis conqueritur, adveniunt Leucon et Rhoda de more deo supplicaturi. Qui ut Habrocomen viderunt columnae adsidentem, et armaturam intuentem, non agnoverunt quidem, sed admirati sunt, quinam esset is, qui apud aliena donaria commoraretur. Tandem Leucon, «quid, inquit, adolescens caussae est, cur donis nihil ad te pertinentibus adsidens ingemiscis ac lamentaris? Quid tu haec curas? Quid tibi cum iis, quorum nomina heic inscripta sunt?» Cui respondens Habrocomes, «mea, inquit, mea sunt ista donaria Leuconis et Rhodae, quos post Anthiam videre infelix ego Habrocomes exopto.» Haec audientes Leucon et Rhoda tum

quidem obstupuerunt; post, ubi se paullatim collegere, agnoverunt eum ex habitu, e voce, ex iis quae dixerat, ex eo quod Anthiam commemoraverat. Mox ad eius pedes procumbunt, atque eventa sua narrant: iter Tyro in Syriam, Mantus iram, traditionem in contubernium, et se venditos in Lycia, heri obitum, divitias, et reditum Rhodum. Iam vero eum domum, ubi habitabant, ducunt, eique bona sua tradunt, multaue cura famulantur, ac bono esse animo iubent. Illi autem nihil Anthia erat antiquius, sed hanc usque deflebat.

XI. Dum iste Rhodi cum collectaneis moratur, quid ageret deliberans, Hippothous decrevit Anthiam ex Italia Ephesum ducere, partim uti eam parentibus restitueret, partim ut illic de Habrocome aliquid inaudiret. Itaque iam, rebus suis omnibus magnae navi Ephesiae impositis, cum Anthia solvit, et admodum iucunda paucorum dierum navigatione absoluta, nocte iam instante, Rhodum adpulit, ibique ad mare apud anum quamdam, Althaeam nomine, devertit, Anthiam vero ad hospitem introduxit, atque ipse seorsum ea nocte recubuit. Postridie autem iam solvere cogitabant, verum festum diem illum Soli publica magnificentia agebant Rhodii cum pompa et sacrificiis, et in magna celebrantium civium frequentia. Aderant in ea Leucon et Rhoda, non tam ut festum una celebrarent, quam ut inquirerent, si quid de Anthia comperire daretur. Inter haec Hippothous, secum ducens Anthiam, templum erat ingressus, haec vero defixis in donaria oculis, et praeteritorum recordata, «o Sol, inquit, qui cuncta humana respicis, solam me infelicem praeteriisti, antehac quidem quum Rhodi essem, te fauste feliciterque adoravi, tibi que cum Habrocome sacrificia feci, et tunc beata habebam; nunc contra serva pro libera, pro felici infelix captiva sum, atque sola Ephesum revertor, et in conspectum me dabo necessariis meis sine Habrocome!» Haec loquuta copiosas fundebat lacrymas, et Hippothoum rogavit, ut comae partem sibi abscindere concederet, eamque Soli dicare, et nonnihil precari pro Habrocome. Adnuente Hippothoo, resecurit illa de cincinnis quantum licebat, et, omnibus egressis, opportunam occasionem nacta, dedicavit cum inscriptione:

PRO-MARITO-HABROCOME-ANTHIA-COMAM-DEO-DEDICAVIT.

Quo factu, et precibus adhibitis, cum Hippothoo discessit.

XII. Leucon et Rhoda, qui, dum haec aguntur, pompae intererant, nunc ad templum advenerunt, et donum conspicati, herilia nomina agnovere, ac primum comam exosculati sunt, multumque plorarunt, tamquam si ipsam vidissent Anthiam: deinde circumierunt, si illam etiam possent uspiam invenire; iam enim populus Rhodius nomina e priore commoratione noverat. Ac eo quidem die quum nihil reperissent, [reversi sunt] <reverterunt>, et Habrocomi quae in templo invenirentur indicarunt. Ille ex inopinata re animo quidem est commotus, at in bona tamen spe fuit se Anthiam reperturum. Insequenti die rursus Anthia cum Hippothoo in templum venit, neque enim idonea navigandi tempestas erat, et donariis adsidens plorabat gemebatque. Interea Leucon et Rhoda ingrediuntur, Habrocome domi relicto, qui pariter aegritudini se dabat. Vix pedem intulerant, quum Anthiam conspiciunt, nec dum vero agnoscunt, sed e cunctis,

amore, lacrymis, donis, nominibus, et forma coniecturam capiunt. Ut eam hoc modo paullatim agnovere, tum vero genibus eius ceciderunt, iacueruntque obmutescentes. Mirabatur illa quinam essent, quidque sibi vellent, numquam enim Leuconem et Rhodam esse sperasset. Iam ubi ad se rediere, «o hera, inquit, Anthia, nos servi tui Leucon et Rhoda sumus, peregrinationis et captivitatis apud praedones socii. Sed quae te fortuna huc agit? Bono animo es, hera, incolumis est Habrocomes, atque isthic superstes te continenter deflet.» Hoc audito sermone adtonita Anthia, postquam se aegre recepit, eosque agnovit, brachiis collo circumdatis amplexatur, et de iis quae ad Habrocomen pertinebant, planissime edocetur.

XIII. Confluxit nunc omnis populus Rhodius, qui inventos esse Anthiam et Habrocomen intellexerat. Tum vero accessit etiam Hippothous, innotuitque Leuconi et Rhodae, simul et ipse quinam essent certior est factus. Ac de reliquo quidem inter eos commode se res habebat; hoc tamen minus, quod necdum ista sciret Habrocomes: itaque confestim domum adcurrerunt. Ille interim, postquam ex aliquo Rhodiorum acceperat inventam esse Anthiam, per mediam urbem cursabat clamans Anthiam amenti similis, ac tandem ad aedem Isidis in Anthiam incidit, magna subsequente Rhodiorum caterva. Ut se invicem conspexerunt, protinus agnoverunt, (namque id sibi optabant utriusque animi) atque inter mutuos amplexus humi sunt delapsi. Multis sane ac diversis animi commotionibus urgebantur, voluptate, dolore, timore, praeteritorum recordatione, futurorum metu. Prosequebatur eos omnibus optimis populus Rhodius, alteque exclamabant magnam invocantes deam Isidem: «iam rursus, aiebant, formosos illos videmus, Anthiam et Habrocomen.» Hi autem ubi se receperunt, exsurgunt, atque Isidis templum ingrediuntur. «Tibi, inquit, maxima dea, gratiam pro incolumitate nostra habemus: per te, o nobis omnium maxime veneranda, nos mutuo recuperavimus»; simul ante aedes provoluti, ad aram procubuerunt. Dein vero conferunt se in Leuconi domum, quo et Hippothous res suas transferri curavit, parabantque Ephesum navigare. Postquam igitur illo die sacrificassent, essentque epulati, multae ac diversae narrationes de omnibus, quae quisque passus fuerat egeratve, utpote qui post diuturnum tempus se mutuo recepissent, convivium diu protraxerunt. Iam autem ubi nox advenit, cubitum iere reliqui omnes prout obveniebat, Leucon et Rhoda, Hippothous et formosus ille adolescentulus Clisthenes, qui eum e Sicilia Italiam petentem sequutus fuerat; Anthia vero cum Habrocome recubuit.

XIV. Interea dum ceteri omnes sopiti sunt, estque alta quies, Anthia Habrocomen amplectata flebat: «o mi vir, inquit, ac domine, recepi te posteaquam terra marique diu sum pervagata, effugique latronum minas, piratarum insidias, lenonum contumelias, vincula denique, fossas, ligna, venena, et sepulcra: talis vero adsum tibi, Habrocome, animae meae domine, qualis primum Tyro in Syriam discessi. Nemo me, ut peccarem inducere potuit, non Moeris in Syria, non Perilaus in Cilicia, non in Aegypto Psammis et Polyidus, non in Aethiopia Anchialus, non Tarenti herus; sed casta tibi mansi, multasque artes servandae pudicitiae excogitavi. Tu vero, Habrocome, num in temperantia

perseverasti, an alia quaequam formosa me gratia superavit, coëgitve te mei simul et iuris iurandi oblivisci?» Haec dicens frequenter eum exosculabatur. Habrocomes contra, «iuro tibi, inquit, per hunc vix tandem inventum nobis exoptatum diem, nullam mihi neque virginem visam fuisse pulcram, neque aliam, quam conspexerim, mulierem placuisse, sed talem recepisti Habrocomen, et tam purum, qualem Tyri in ergastulo reliquisti.» Huiusmodi defensionibus tota nocte invicem usi, facile mutuam sibi fidem fecerunt, quoniam ita se habere cupiebant.

XV. Ut illuxit, suas res omnes navibus imponunt, ac deducente eos omni populo Rhodio, navim conscendunt et solvunt; una proficiscebatur etiam Hippothous, cuncta sua et Clithenem abducens: ita, paucis diebus navigatione confecta, Ephesum adpuleret. Iam antea eas incolumes servatos inaudierant Ephesii omnes cives. Simul atque exscenderunt, confestim, quo erant habitu, Dianae fanum adeunt, multa precantur, sacrificia faciunt, alia item inferunt donaria, atque tabulam inprimis deae dedicant, in qua [depictaverant] <depinxerat> omnia quae passi essent, egissentque. His peractis in urbem adscenderunt, ac monumenta suis parentibus amplissima posuere; nam praemortui erant senio atque aegritudine confecti. Ipsi reliquo tempore vitam simul, velut festum diem, egerunt Leucon et Rhoda omnium participes a suis collectaneis sunt habiti. Hippothous quoque, quod supererat vitae, Ephesi traducere statuit, mox etiam Hyperanthi sepulcrum in Lesbo magnificum exstruxit, dein Clithenem sibi filium adoptavit, atque Ephesi aetatem egit cum Habrocome et Anthia.

Xenophontis Ephesiacorum de Anthia et Habrocome finis.



Xenophon Ephesius



Anthia et Habrocomes

EDITIO  ROMANA